JOANNIS CHRYSOSTOMI ... HEXAEMERON METRIS EXPRESSUM, ...

Ioannes : Chrysostomus santo (santo), ...

Digitized by Google

63.
6
d
2
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
13 C
10
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS CHRYSOSTOMI
A SANCTO PAULO
Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI
Scholarum Piarum.

HEXAEMERON
Metris expreſſum,

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO

ANNIBALI
ALBANO
CLEMENTIS XI.
PONT. MAX.

Ex Fratre Nepoti,
Sancti Petri de Urbe Canonico,
AUTHOR HUMILLIME' D.D.D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, apud Franciſcum Gonzagam. 1705.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

APPROBATIO.

EX commiſſione Reverendiſſimi Patris Paulini Bernardinii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri legi quàm potui diligenter Librum Reverendi Patris Joannis Chryſoſtomi à Sancto Paulo Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum; cui titulus Hexaemeron *metris expreſſum*. Viſum eſt mihi opus ſingulari diligentia laboratum, ornatumque multiplici eruditione, atque doctrina, proindè imprimi poſſe cenſeo.

Carolus de Aquino.

Digitized by Google

APPROBATIO.

EX commiſſione Reverendiſſimi Patris Fr. Paulini Bernardinii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri vidi Librum, cui titulus Hexaemeron *metris expreſſum* &c. nihilque in eo reperi, quòd aut Fidei puritati, aut morum honeſtati adverſetur; immò mirari non deſii facilitatem, qua Author carmine complectitur penitiſſima & Naturæ, & Divinitatis arcana, quæ ſapientes vel ſoluta oratione difficulter obumbrari poſſe, fatentur. Quare Opus hoc dignum cenſeo, ut publica luce fruatur. Ex noſtro Collegio S. Thomæ Aquinatis apud SS. Vincentium, & Anaſtaſium de Urbe hac die 24. Martii 1705.

Cajetanus Corazza Cler. Reg. Min, Sacræ Theologiæ Lector,

PE-

Digitized by Google

PETRUS FRANCISCUS
A CONCEPTIONE
Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Præpoſitus Generalis.

CUm librum, qui inſcribitur HEXAEMERON, à Patre noſtro Aſſiſtente Joanne Chryſoſtomo à Sancto Paulo compoſitum duo Theologi ex noſtris, quibus commiſimus, recognoverint, & in lucem edi poſſe approbaverint; Nos, ſi iis, ad quos ſpectat, ità videbitur, ut typis mandetur, facultatem in Domino concedimus. Romæ in Ædibus noſtris Scholarum Piarum S. Pantaleonis die 24. Aprilis 1705.

Petrus Franciſcus à Conceptione Præpoſitus Generalis.

Bernardus à Sancto Philippo Aſſiſtens, & Secretarius.

Reg. fol. 141. *à tergo.*

a 2 *IM-*

Digitized by Google

IMPRIMATVR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Vicesgerens.

IMPRIMATVR,

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicat. Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter.

AU-

Digitized by Google

AUTHORIS INTENTIO
AD LECTOREM.

ANTE quam in Eccleſia Catholica Sancti Thomæ Aquinatis motrix intelligentia ſapientiæ ſuæ Solem oſtenderet, ferè omnium Sanctorum Patrum conſenſus, non modò ab Ariſtotelis, & Platonis doctrina erat alienus; ſed etiam Ethnicorum omnium philoſophantium placita devitabat. Hi enim divinis inhærentes Scripturis, quicquid ab illis abſonum ſuſpicarentur, nullius authoritate Philoſophi vel dignabantur aſſumere, vel leviter interpretari. Quandoquidem ſingulæ Philoſophorum Gentilium ſectæ intolerabilia contra Fidem Orthodoxam principia ſupponunt, ut docet *S. Ambroſius in Hexaemeron cap.* 1. *&* 6. *Chryſoſt. in Homil. ſuper Geneſ. cap.* 1. *Hieron. in Eccleſ. cap.* 10., & paſſim *Auguſtinus in Platonicos, in Epicuræos, & alios*, quorum doctrinas *in* 2. *de Civ. Dei cap.* 7. ſine authoritate Divina prolatas inutilia eſſe inventa pronunciat. Ariſtotelis verò philoſophiam *ibidem lib.* 8. *cap.* 12. Hæreſim dicit, & cùm Platonicos affirmet minimùm à Chriſtianis diſtare, *lib. de vera Relig.*

cap. 4. Nihilominus Platonem ipſum plurimis taxat: quorum locorum ſententias, ut etiam cæterorum Sanctorum Patrum authoritates, longum eſſet afferre.

Verùm quoniam ipſis ferè Sancti Thomæ temporibus Arabes in Hiſpania doctrinis Ariſtotelicis in Fidem Catholicam maximè invehebantur, ut impiis illorum conatibus Sanctus Doctor occurreret; non modò Commentatoris Averrois plurimas opiniones, & Textûs corruptelas confutavit; ſed etiam novis editis commentariis Philoſophum ſubtiliſſimè interpretatus, propemodum ſenſu Chriſtianum effecit. Et adverſariorum armis, & ſpoliis inſtructus, contra Gentes ſtylum acuens, de tota infidelitate glorioſiſſimè triumphavit. Primus omnium verè Angelicus Doctor, non extimuit prophani Philoſophi libros interpretari, attactuque incoinquinato enormes ejuſdem verſutias, & errores excurrere, ut aurum de ſtercore colligens, & fimum ſapientiæ luce colluſtrans, id præſtaret emolumenti, quo methodicè ſacra doctrina traderetur, & Peripatetica philoſophia non nobis noceret. Quandoquidem ut ab eo commentis donatam, non amplius Peripateticam, ſed Angelicam dixerim; quia nihil amplius ſapit, quod Ariſtoteles intendebat,

ſed

Digitized by Google

ſed quod Aquinatis ratio concludit.

Hoc ſapientiæ genus idem Sanctus Doctor ex fine ſibi præfixo ad obruendas Gentium, & Hæreticorum machinas, conſuluit, dicens: Quod metaphyſica diſputat contra negantem ſua principia, ſi adverſarius aliquid concedit; ſi autem nihil concedit, non poteſt cum eo diſputare; poteſt tamen ſolvere rationes ipſius. Unde ſacra Scriptura,cùm non habeat ſuperiorem, diſputat cum negante ſua principia, argumentando quidem, ſi adverſarius aliquid concedat eorum, quæ per divinam revelationem habentur; ſicut per authoritates ſacræ doctrinæ diſputamus contra Hæreticos, & per unum articulum contra negantes alium. Si verò adverſarius nihil concedat eorum, quæ divinitùs revelantur, non remanet ampliùs via ad probandum articulos Fidei per rationes; ſed ad ſolvendum rationes, ſi quas inducit contra Fidem, *p.p. quæſt.* 1. *artic.* 8. *in corp.* Ut igitur contra Hæreticos, tanquam ſummus Theologus procedit inferendo, ex revelatis principiis conceſſis, revelata ab illis non conceſſa: ità ut ſummus metaphyſicus contra gentes proceſſit, aſſumendo Ariſtotelicum textum, quem maximoperè commendabant,ut ex illius authoritate ad Fidei principia concludenda deveniret.

Digitized by Google

Hoc etiam fine Platonem potiùs ſequitur Sanctus Auguſtinus, quam Ariſtotelem, quia ſuis temporibus Platonici frequentiùs Fidei dogmatibus inſultabant; quamobrem inquit *lib. 3.* contra Academicos. Apud Platonicos me interim, quod ſacris literis non repugnet, reperturum eſſe confido. Et mirum videtur quibusdam neſcientibus hujusmodi finem, quamobrem S. Thomas, qui D. Auguſtinum in Theologicis ferè ad unguem ſequitur, non potiùs cum ipſo, Platoni adhæſerit, quam Ariſtoteli. Sed finis intentus ab Angelico, ut gentes Peripateticas evincat, admirationem omnem de medio tollit. Nam tali fultus adminiculo faciliùs adverſariorum munitiones contra ſcientiam Dei elatas deſtruxit; ut notat *Palavicinus in Hiſtoria Concilii Tridentini*, & alii.

Gaſſendus verò, & alii hujuſce tempeſtatis Athomici, illæſa quidem Fide conantur principiis Democriti, & Epicuri phyſicas diſciplinas redintegrare, quas ex vetuſtiſſimis monumentis, ubi diù fuerant ſepultæ, effodere ſatagunt. Sed quia illorum finis non eò collimat, quò ſtudium Sanctorum dirigitur, ut Fidei veritatem illuſtrent, immò ipſorum licentia plurimùm periculi faceſſit in rebus Theologicis;

id-

Digitized by Google

idcircò ego, ferè in adoleſcentium gratiam molitus ſum hoc Opus metricum SEX DIERUM, quo intendi, per Fidei principia revelata, tanquam inter Fideles inconcuſſa, & conceſſa, naturalium rerum creationem, conſervationem, viciſſitudines, & proprietates explanare. Quia verò his recentioribus philoſophis neque Plato, neque Ariſtoteles placet, ſed potiùs Democritus; & nullus alius authorum ex antiquis reperitur, qui hujusmodi philoſophiam tractet, niſi Lucretius; ut ipſis arrideam, Lucretium verſiculis imitor, & nihil cum Ariſtotele, nihil cum Platone conſentiens, aut cum alio quocumque Gentilium philoſophorum, ipſum præterea Democritum excludo, & dumtaxat cum ſacris literis eos convenio, ulteriùs ſenſu, & ratione differens, ut ipſa ratio, aut opinio per ſe ſuffragentur veritati. Id verò conſilii fuit, ut juvem eos, qui carmine delectantur, in quorum gratiam aliquid opinativè cudere ſtudeo, ut dùm ipſis minùs ſapit Peripateticus ſtylus, ſaltem non diſpliceant Fidei principia. Quinimò, dùm Lucretii metris incauta juventus enixè ſtudet, & plus juſto delectatur, quærens doctrinæ novitatem, virus inibi offuſum potat, & perniciofis maximis animum imbuit; operæ pretium eſt, viam aperire ſimili methodo,

Digitized by Google

do, ut poſſint opinari ſatis in admirabilibus Dei operibus, ſalva penitùs Fide, non invenientes opus, quod Deus eſt operatus, neque id negantes, aut in dubium revocantes, quod eſt revelatum.

Hoc ipſum fuit antiquis Sanctis Patribus uſitatum, ut cognoſci facilè poterit, ſi legantur Chryſoſtomus, Baſilius, Ambroſius, Auguſtinus, & reliqui, ut notat *Molina par.* 1. *de opere Sex Dierum diſput.* 5. *Cabeus in metheor. Ariſtotelis lib.* 1. *text.* 72. *quæſt.* 5. Ponentes ſacram Scripturam, & Fidei dogmata pro norma, & regula veritatis. Quamobrem in iis, quæ ad veritatem ſpectant, non mihi videor multum abeſſe ab illibata D. Thomæ doctrina, & intentione, quam ſatis novi periculoſum eſſe deſerere. Quicquid enim ad opiniones attinet, ipſe ſanctus Doctor mihi ſatis indulgeat pro hac parte, quam ſcopo prætendo attingere, ut Democriticis aliquid concedens, aliquid cum ipſis opinatus, cætera compellam benè ſentire de Fide, & potioribus philoſophiæ maximis adhærere. Minimè enim refert hoc, vel illud opinari, quod opinabile circumfertur, conſcientiâ tutâ. Sed maximè intereſt à veritate Fidei deflectere, atque talia diſputatione concludere, quæ aut nihil ad veritatem con-

Digitized by Google

conducunt, aut aliquid à veritate ipſa deducunt. Ipſe enim Angelicus plurima problematicè defendit, quæ ſcientiam non lædunt, plurima etiam ex Ariſtotelis ſententia diſcerpit, ut cum Ariſtotelicis rem agens, faciliùs in ſuam ſententiam trahat; cujus ingenii finem ſatis abundè quilibet animadvertet, ſi legat ejus ſummam adversùs Gentes.

Hinc igitur, quia cum Chriſtifidelibus rerum naturalium negotium aggredior, non ex viſibilibus ad inviſibilia Dei rimanda procedo, ut moris eſt antiquis philoſophis, teſte Gentium Apoſtolo, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium. *Rom.* 1. 25. Sed ab inviſibili Deo, rerum omnium Creatore, qui omnia quæcumque voluit, liberè, & in ſapientia fecit; exordior. Deo enim præeunte nullus officit obex: quem cum fide teneamus, antè omnia ſæcula, & mundi conſtitutionem per ſe Ens, quod eſt, ſimpliciſſimam, immutabilem, æternam, & perfectiſſimam Unitatem; Mentem, quæ omnia intelligit: Voluntatem, quæ omnia poteſt; ipſumque verè Deum vivum ſuper omnia, Unum, Verum, Bonum, ſibi ſufficientiſſimum, nullius rei à ſe diſtinctæ indigentem, eundem Perſonis Trinum antè res omnes, & rerum ſæcula in ſe ſubſiſtentem confitea-

fiteamur: Hoc ipſum univerſaliſſimum Principium, & Cauſam liberam omnium à ſe creabilium procul omni dubio affirmamus. Quæ omnia cum à pueris ex fidei dogmatibus didicerimus, pro phyſica inſtitutione non eſt opus inter nos prolixè diſſerere; ſed ultrò conceſſa pro veritatis indagine, tanquam principia inconcuſſa in Prolepſi ſtatuimus, & ſupponenda præmittimus.

Ex his verò ſatis manifeſtè apparet, materiam, mundum, aut motum non fuiſſe ab æterno, ut ponebant antiqui Philoſophi, de qua poſitione fusè *Pererius lib. rerum natur.* 15. Nàm Deus ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt, *Pſ.*148. Et indè ait Chriſtus ad Patrem, *Jo.* 17. 5. Clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate, quam habui, priusquam mundus eſſet, apud te. Neque aliqua neceſſitate inchoatum à Deo eſſe mundum, aut motum, aut tempus, aut aliam quamlibet creaturam; cùm omnia liberè agat ad extrà; neque quicquam ab eo diverſum à ſe dimanet, aut neceſſariò, aut ſua ſponte, ſed abſolutiſſimâ voluntatis ſuæ libertate, ac providentiâ; ideòque neque caſu aliquo quicquam contingit; quia ſapientia Patris æterni, quæ Verbum Divinum eſt, de quo dicit *S. Jo.* 1. Omnia per ipſum

Digitized by Google

ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil: Ità *in Ecclesiaſtico cap.* 24. 5. inquit: Ego ex ore Altiſſimi prodivi primogenita ante omnem creaturam; & omnia præcedens cum ſit una, omnia poteſt; & in ſe permanens, omnia innovat. Attingit ergo à fine, uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter, *Sap.*7. 24. & 8. 1. Quamobrem illud Ethnicorum axioma: *De nihilo nihil fit*, in Deo nullum habere locum docemur: Cùm ipſe de nihilo faciat omnia; & omnia in nihilum redigere poſſit; ſicut etiam, ſi velit, poteſt totum in totum commutare, quod eſt converſio; ſeu ſubſtantiam in aliam ſubſtantiam invertere, quod eſt tranſubſtantiatio; aut etiam immutare accidentia rerum; aut aliud ſimile, quod excedit naturæ vires. Quæ omnia conſequenter in Primæ Diei opere attingimus, reprobantes Philoſophorum erronea principia, & Catholicum dogma confirmantes.

Indè verò, quia quod de nihilo factum eſt, aliquid exſtitit; cum cauſam univerſaliſſimam efficientem Deum poſuerimus, & finem univerſorum, quæ ſunt, ultimum, & perfectiſſimum: nàm univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, *Prov.* 16. 4. Inquirimus de ipſis principiis, & elementis intrinſecis, quæ mun-

mundum conſtituant. Quamvis autem univerſaliter loquendo omnia mundi hujus corpora intelligantur conſtare materiâ primâ, & formâ tanquam partibus eſſentialibus; nihilominus pro præſenti naturæ ſtatu à Deo ſic voluntariè conſtitutæ, una materia informis, aut formata unico formæ ſubſtantialis actu, non ſufficit, ut totus hic mundus conſtitueretur; itaut ſi Deus creaſſet unam materiam primam, & ſimul cum ipſa non concreaſſet diverſas formas, nunquam hujuſmodi materia informis fuiſſet appetitiva diverſarum formarum, & nunquam ex illa ſola potuiſſet naturaliter emanare alia, & alia forma: & etiam ſi materia una fuiſſet unicâ formâ formata, nunquam exinde potuiſſet à natura fieri aliud. Propterea ſtatim in principio temporis tria pronunciantur creata, cœlum, terra, & aqua, & ſubſequenter per dies lucem, firmamentum, cum aquarum diviſione, Solem, Lunam, ſtellas, & planetas intelligimus eâdem creatione producta: eadem eſt enim Dei actio, quæ de nihilo facit, & facta conſervat, mutat, diſtinguit, & perficit, & jugi gubernatione operatur. Et cum creatio tendat ad totum ens, non ad ea quæ ſunt entis, propriè non dicitur materia prima, aut forma creata, ſed creata ipſa compoſita. Quare cum

Deu

Digitized by Google

Deus diverſa corpora in mundi creatione creaverit; illa omnia creata mundum totum conſtituunt: inter quæ cum aliqua ſint mixta, quæ diverſis conſtant elementis, ut ſunt plantæ, atque animalia; & quædam alia ſint ſimplicia, quæ habent ſimiles partes integrantes totum, ut ſunt aer, ignis, & aqua, & dicuntur elementa: hic quæritur, utrum in toto mundo ſint illa tantùm quatuor vulgata, terra, aqua, aer, & ignis; ex quibus omnia mundi compoſita conſtent: & multi ſanctorum Patrum dicunt cœlum eſſe naturæ igneæ, alii ex aqua factum, quos recenſet *Martinengus in gloſſa magna tomo* 1. longum texens illorum cathalogum. Et conſequenter omnia mundana ex elementis conſtare quatuor, exceptis tamen ſpiritibus, & humanis animabus, quòd ſine materia de ſe ſunt creata ſpeciali creationis intentu. Alii autem Cœlum cum *Ariſtotele* 3. *de Cœlo cap.*1. & 1. *meteor. cap.*3. & alibi, quintum faciunt elementum.

Cùm verò *S. Auguſtinus lib.* 2. *ad Cœleſt. cap.* 23. inter quæſtiones difficiles, quæ ſalva Fide, ventilari poſſint, enumeret; utrum elementa hujus mundi conſpicabilis quatuor, an plura ſint. Ego nihil de poſſibili loquens, quia poterat Deus, quod unum, vel tria fecerat

à

Digitized by Google

à principio, per dies reddere in plura elementa, & alia miſta, & ità diſtinguere, & perficere, ut narratur; ſolùm dico indefinitè, quod unum non ſuffeciſſet, nec ſolùm quatuor eſſe, ſi ponamus elementa formata, inter ſe diſtincta hujus mundi eſſe aliqua magna corpora ſimplicia, quæ, cum ſimiles habeant partes, non dividuntur in alias ſpecies. Nec mirum videatur ſi ità elementi nomine vocem, quæ cœlum, & ſydera componunt, cum hoc etiam modo *S. Jo. Chryſoſtomus in* 1. *cap. Geneſ. homil.* 3. dicat: Moyſes docuit nos de cœlo, & terra, quæ plura in ſe continent elementa. Et *homil.* 4. *de firmamenti formatione*, *aquarumque diviſione* dicit Solùm jubet, & accedit aliud elementorum, & aliud decedit. Et *homilia* 6. *de Sole differens* ait: Vides ſapientiam Opificis? Dixit ſolùm & productum eſt hoc admirabile elementum Solem dico. Et ſæpiùs id repetens concludit quod ſcriptura docet nos poſt tertium dien hoc elementum eſſe conditum. Et poſtquan de Stellis locutus eſt, infert. Itaque element quæque in ſuos terminos manent, & nunquar ſuam menſuram transgrediuntur; ſed diſpoſ tionem, & ordinem Domini cuſtodiunt, ſuun opus facientes. Mundi igitur elementa, ex hi principiis plura eſſe, quam quatuor deduco

qu

Digitized by Google

quia certè à Deo diſtincta ſunt, non modò hæc inferiora, terra, aqua, aer, & ignis; ſed etiam aſtra ſingula inter ſe, & ſtellarum æther fluidus, qui cœlum planetarium replet.

Interim autem cum diverſi diverſa dicant de materia prima; quidam volunt unam in omnibus eſſe; alii duas; alteram quidem cœleſtem, quæ formas habeat inamiſibiles; alteram ſublunarem, quæ tranſmutationi ſubjecta eſt; & alii multiplicant in cœlis materiam; quod cœli diverſimodè formam inamiſibilem habeant; quidam etiam à cœlis omnem tollunt materiam: mox alii materiam ipſam exiſtentiâ donant; alii privant. Quidam in ipſa formam corporeitatis agnoſcunt; quidam verò quantitatis dimenſiones interminabiles; & quidam nihil ex his. Quid plura? Ut quis impiè dixit eam Deum eſſe; & alius locum; ſi quoque alii dicant nihil omninò eſſe? Certè *Cabeus in meteor. Ariſtot. lib.* 1. *text*.4. *quæſt*.2. dicit à Deo tres eſſe materias creatas, cœlum, aquam, & terram; & quod terra elementaris vera, & phyſica eſt materia prima ſublunarium, non illa ratio metaphyſica, quam ſibi fingunt Peripatetici quamplures, *ibid. text*. 46. *quæſt*. 5. Ego ſacris inhærens Literis, ſicut ſupra, non agnoſco in mundo ſola quatuor elementa, ſed

illis paria, & ſimilia, multoque majora, cœlum, firmamentum, aquam cœleſtem, ſydera, ſolem, lunam, & alios planetas, & ſi quid hujuſmodi à Deo fuit creatum, diſtinctum, & formis homogeneis ornatum; quia revera hæc diſtinctè creata ſunt in mundo, & ipſum componunt: ità nunc definio, quod ex ſacris Literis benè arguitur materia prima omninò informis in rebus mundi corporeis, propter mutabilitatem earum, quam Deus nobis oſtendit. Cùm enim Deus õnia ſimul creaverit initio ſuę creationis, ut dicitur *Eccl.* 18. indè autem per ſex dies voluerit continuare ſuam creationem ex materia inviſa, ut dicitur *Sap.* 11. 18. ſatis apertè demonſtrat, in rebus corporeis eſſe mutabilitatem, tùm accidentalem, tùm ſubſtantialem; nàm cùm compendio quodam dicatur: In principio creavit Deus cœlum, & terram; & quod terra erat inanis, & vacua, & quod tenebræ erant ſuper faciem abyſſi; ex his benè intelligimus mutationem accidentalem, cùm dixit: *Fiat lux*; ſi lucem intelligamus qualitatem inditam igni, vel æthери fluido priùs creato ſine luce; ità cùm à principio inchoari tempus, & fieri motus perhibetur, ut decurrerent dies, ac noctes: accidentalis eſt rerum immutatio per tempus, & motum; & cùm diviſionibus dari

locum

Digitized by Google

locum aquis, detegi terram, & ſiccam fieri, poni ſydera in firmamento cœli, & hujuſmodi affirmetur; per locum hæc perfici, & mutari accidentaliter intelliguntur; & ſic de ſimilibus. Indè autem cùm dicatur: Fiat firmamentum; fiant luminaria, & facta ſunt hujuſmodi ex illa materia, quæ priùs dicta fuit uno vocabulo cœlum; ſicuti etiam cùm dicatur: Germinet terra herbam virentem; producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram; producat terra animam viventem in genere ſuo; formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & ſimilia; ſubſtantialis rerum immutatio deprehenditur. Sed mutatio ſubſtantialis in generationibus ſublunarium infert materiam primam per naturale rationis lumen; ergo, cùm Deus ex beneplacito, in rebus omnibus nobis oſtendat mutabilitatem ſubſtantialem perfectivam rerum, tùm cœleſtium, tùm ſublunarium; multò certiùs in ipſis materiam primam concreatam demonſtrat; & ſimul, quid natura poſſit exigere, & exhibere in rerum viciſſitudine. Propterea non abs re fuit dictum à Moyſe, *Geneſ.* 2. 4. Iſtæ ſunt generationes cœli, & terræ, quando creata ſunt, in die, quo fecit Dominus Deus cœlum, & terram. Et vide accuratum dicendi modum;

quia quando ex nihilo Deus operatur, dicitur creare; quando autem ſequitur creationem ſuam ex rebus priùs creatis perficiendo, dicitur facere; & res ipſæ fieri dicuntur; quod eſt modus quidam magis ſimilis generationibus naturalibus, in quibus ex aliquo fit aliquid. Utque doceret creationis exemplo, naturam, quæ per diſpoſitiones prævias ad generationes procedit; præmittit mutationes accidentales mutationibus ſubſtantialibus; non quia Deus hoc habeat neceſſe; ſed quia ità fieri voluit, & ut naturæ exigentiam oſtenderet, & ut intrinſecam corporum mutabilitatem, & deficientiam monſtraret; & ità Gentilium errores confunderet, qui pro diis iſta tenebant.

Porrò, quia in rerum ſubſtantiali mutabilitate deprehenditur materia prima: hæc metaphyſicè debet concipi, ſicut genus commune, inter corpora convenientia in ipſo; & forma, ſicut ſpecies contrahens ipſum genus, ut unum corpus ſit ab alio diverſum, & differens. Phyſicè autem conſiderandum eſt, quod dicit *Auguſtinus lib.*12. *Confeſſ. cap.*6.*&* 7. & deinceps alibi. Quia, qui cogitant aliquid, aliqua ſpecie, quamvis horribili, & turpi formatum, ut propterea vocent informe, non cogitant materiam primam, ſed aliquid aliud; & ità, qui

qui cogitant illam cum exiſtentia, vel cum quantitate, vel cum forma generica corporeitatis, vel cum aliquo eſſe, & eſſentia certa, materiam primam non cogitant; undè inquit: Mutabilitas enim rerum mutabilium capax ipſa eſt formarum omnium, in quas mutantur res mutabiles. Et hæc quid eſt? Si dici poteſt; nihil aliquid eſt, & non eſt; hoc eam dicerem. Et ad Deum loquens, inquit: Tu eras, & aliud nihil, undè feciſti cœlum, & terram: duo quædam, unum propè te, alterum propè nihil; unum, quo ſuperiùs tu eſſes; alterum, quo inferiùs nihil eſſet. Et *cap.* 19. ait: Verùm eſt informitatem, quæ propè nihil eſt, vices temporum habere non poſſe. Verum eſt, omne, quod ex informi formatur, priùs eſſe informe, deindè formatum. Et hinc deducit à Deo creatum mundum ex informi materia, quæ priùs naturâ, & origine intelligitur eſſe, quam forma, ſicut in voce priùs intelligitur ſonus, quam vox. Quare *lib.* 1. *de generat. ad literam cap.* 15. ait: Non quia informis materia formatis rebus tempore prior eſt, cùm ſit utrumque ſimùl concreatum, & undè factum eſt, & & quod factum eſt. Sed quia illud, undè fit aliquid, & ſi non tempore, tamen quadam origine priùs eſt; quia etiam, cùm dicimus

 mate-

materiam, & formam, utrumque ſimùl eſſe intelligimus, nec utrumque ſimùl poſſumus enunciare. Sed cùm *ibid. lib.* 5. *cap.* 5. dicat: Non itaque temporali, ſed cauſali ordine priùs facta eſt informis, formabiliſque materies & ſpiritualis, & corporalis, de qua fieret, quod faciendum eſſet. Conſiderandum eſt, quid pro ſpirituali materia intelligat: nàm tutiùs tenemus ſpiritus carere materiâ, quamvis in ſe, & de ſe non habeant omnimodam immutabilitatem. Et ille hoc ipſum confirmat *lib.*12. *Confeſſionum*, pro ſpirituali creatura, & inviſibili ponens ſpiritualem materiam. Et *cap.*17.*&* 19. ait de illa: Verum eſt nulla tempora perpeti, quod ità cohæret formæ incommutabili, ut quamvis ſit mutabile non mutetur. Et dicendum videtur, quod æquivocè creatura ſpiritualis dicatur habere materiam primam; quia ſcilicet non eſt purus actus, ſed comparata ad Deum, eſt quid materiale, ideſt compoſitum ex potentia, & actu, ex eſſe, & eſſentia, ex natura, & ſuppoſito, & hujuſmodi, quod eſt in genere metaphyſico eſſe compoſitum ex materia, & forma, non tamen in genere phyſico. Sed ubi vera eſt materia prima, hoc habet, ut omninò à Deo poſſit mutari de una ſpecie in aliam, & ſic de materia cœleſti fieri ſtellas, de

aqua

Digitized by Google

aqua fieri piſces, & aves, de terra beſtias, & hominem; & ità ſi faceret ſua potentia Deus de terra aquam: unus verò Angelus non poteſt mutari in alium Angelum, quia ejus eſſentia indiviſibiliter contrahitur ab ipſa exiſtentia, & conſtituitur tota ſpecies in uno individuo, ut docet *S.Thomas* 1. *quæſt.*50. *art.*4. ſed corpora ſunt diviſibilia, & forma diviſibiliter contrahit ſpeciem, ità ut una pars corporis habeat materiam ſignatam diverſam ab alia parte ejusdem. Et propterea mutabilitas corporum non eſt tota potentia paſſiva in uno individuo, ità ut in ipſo ſit tota materia prima, & non in aliis. At ſicut natura non poteſt immutare totam ſpeciem cujusvis corporis in aliam ſpeciem, putà totum elementum in aliud; aut totam humanitatem in aliud; ità obſervans legem à Deo traditam ſibi mutat aliqua individua, per ſubſtantialem generationem, adveniente nova forma ſubſtantiali, quæ actuat totum,quod diſpoſitivè priùs concurrit ad ſemen alendum, ità ut ſine ulla implicantia, talis actus ſubſtantialis, ubi eſt vera, & perfecta generatio, immediatè dimanet à materia, formaliter in ſe transferens, quæ reperit in materia ſignata, ſi materia ſignata habeat formas ſubordinatas novæ formæ; ut ad formam hominis ſunt eſſe corporeum, vi-

Digitized by Google

vens, & ſenſitivum; ſicut gradus inferior continet in ſe formaliter gradus ſuperiores, & illos non deſtruit, ſed maximè perficit. Et ex his patet materiæ primæ poſitio.

Ex quibus primò infertur, omnia mundi corpora eſſe de ſe ſubſtantialiter mutabilia, ſi detur agens ità potens, ut illa poſſit immutare. Tùm quia in creatione ſic mutata dicuntur, ut de cœlo primitùs creato fieret firmamentum, ſol, luna, & ſtellæ: & de terra, & aqua initio creata, fierent plantæ, piſces, aves, & beſtiæ campi, & homo vir, atque mulier. Tùm quia in fine mundi mutanda perhibentur, dicente Apoſtolo *ad Hebr.* 1. 11. *ex Pſal.* 101. 27. Ipſi (cœli) peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent; & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Et *Petro* 2. *cap.* 3. quod cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent. Novos verò cœlos, & novam terram ſecundùm promiſſa ipſius expectamus. De hac renovatione loquens Iſaias Propheta *cap.* 10. inquit: Et erit lux lunæ, ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum. Quæ renovatio, & perfectio non modò accidentalis videtur, ſed etiam ſubſtantialis, ſine ſubſtantiæ prioris corruptione; quia tendit ad perfectum,
valdè

Digitized by Google

valdè differens à naturali ſtatu,ſicut etiam corpora hominum glorificata, ut de mortalibus fiant immortalia, non corrumpuntur, ſed maximè perficiuntur in ſuo naturali eſſe.

Secundò infertur, quod iſta mutabilitas nihil deſtruit ex iis corporibus ſimplicibus, quæ fecit à principio Deus, ſed ſolùm in fine mundi miſta diſſolventur, & per generalem reſurrectionem ſoli homines reſtaurabuntur. Quod maximè congruit Scripturis, nàm dicitur *Eccleſ. 3. 14.* Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus,perſeverent in perpetuum: non poſſumus eis quicquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus, ut timeatur: quod factum eſt, ipſum permanet, quæ futura ſunt, jàm fuerunt; & Deus inſtaurat, quod abjit. Ex quibus intelligo, quod in ipſo mundi fine Dei virtute redintegrandi ſunt cœli, & elementa multò meliùs, quàm fuerint à principio; & homo ipſe ad innocentiam magis glorioſam, quàm fuerit in primo ſtatu naturæ incorruptæ, quia nimirùm hæc omnia, per hominum peccata in deterius mutata, per Dei virtutem, in melius commutabuntur; undè *Auguſt. in lib. de Eccleſ. dogmatibus cap.* 70. inquit: Elementa, ideſt cœlum, & terram, non credamus abolenda per ignem, ſed in melius commutanda: figuram quoque mundi,

Digitized by Google

mundi, ideſt imaginem, non ſubſtantiam tranſituram. Et *Luc.* 21. 18. dicitur: Capillus de capite veſtro non peribit; quia nimirùm Deus inſtaurat, quod abjit.

Tertiò ſequitur, quod neque per creationem, neque per naturales generationes propriè loquendo corrumpitur, quod tranſmutatur, ſive accidentaliter, ſive ſubſtantialiter in melius; ut dicit etiam *Nicolaus de Lyra in cap.* 1. *Geneſ.* Ex *Ariſtot.* 1. *de generat.* ſicut non dicuntur elementa propriè corrumpi, quod ex eis fit corpus mixtum; quod corruptio proprio modo dicta eſt via ad defectum. Creatio verò, & generatio naturæ, ſecundùm perfectam ejus rationem, eſt via ad perfectum: & hoc maximè notandum eſt, ut benè diſcernatur, quid propriè generetur, & quid propriè corrumpatur: nàm generatio de ſe non dicit corruptionem, & ità univerſaliter non eſt verum, quod generatio unius ſit corruptio alterius; quia generatio eſt origo geniti à generante, in ſimilitudinem naturæ, ex vi talis proceſſionis; & ſic patet, quod ſumma divini Verbi generatio, quæ primam, & ſummam habet rationem veræ generationis, non includit conceptum corruptionis; ſed tantùm productionem à Patre, ex principio aſſimilandi, quia per intellectum procedit.

Digitized by Google

cedit. Sicut ergo lucis productio, & illuminatio non corrumpit aerem; neque deſtruit ſenſum ſpecies ſenſibilis, ſed perficit; ità quando Deus de materia cœleſti fecit firmamentum, quod vocavit cœlum; fecit luminaria, ſolem, lunam, ſtellas, ex illa item materia, quam à principio creaverat nomine cœli; non corrupit illam, ſed ſubſtantialiter perfecit; & ſic quando juſſit ex aqua produci piſces, & aves; ex terra oriri cætera bruta, & ex luto efformavit hominem, & inſpiravit in illud plaſma luteum ſpiraculum vitæ; non corrupit, ſed perfecit. Et ità natura, quando ex ſeminibus generat plantas, aut animalia, concurrens elementorum mixtione ad alendum ſemen, non corrumpit aut ſemen, aut elementa, ſed perficit; ſicut eſſe vegetum accedens in elementis alteratis, non corrumpit eſſe corporeum, aut ſubſtantiale, ſed perficit. Et eſſe ſenſitivum non corrumpit eſſe vegetum, ſed perficit: & eſſe rationale non corrumpit eſſe ſenſitivum, aut vegetum, ſed perficit: & ità eſt proceſſus in generatione hominis, ut priùs ſemen prolificum fiat vegetum, indè ſenſitivum, & ultimò animæ creatione perficiatur ad eſſe rationale; & animæ rationalis informatio perficit totum, & formaliter continet ſenſitivum, & vegetum,

quod

Digitized by Google

quod invenit, non deſtruendo, ſed ſubſtantialiter perficiendo.

Et hic eſt ordo naturæ à Deo intentus, ut corpora ſimplicia miſcibilia, cujuſmodi ſunt aqua, aer, ignis, & corporum ſolidorum halitus, ut terræ exhalationes, & ſyderum, planetarumque radii ſpiritoſi, miſceantur, per motus à cœlis productos, non ad fluidorum corruptionem, ſed ad perfectionem eorundem, undè primò fiant mixta imperfecta, indè appetant fieri, & perfici in mixta perfecta, & mox ex vegetabilibus tendant ad perfectionem ſenſibilium,& indè rationalis creaturæ. Hæc enim eſt finis totius univerſi; nàm propter hominem Deus hæc ordinavit; quamobrem, cùm in fine mundi ceſſaverit propagatio humana, ceſſabunt & motus cœlorum, & elementorum alterationes, & plantarum, brutorumque omnium generationes, propter quam erant ejuſmodi conſtituta; & tunc mundus ſive accidentaliter, ſive ſubſtantialiter à Deo renovabitur, & perficietur, non ut inſerviat utilitati, ſicut modò, ſed ut convenit ſtatui glorificationis.

Illa verò propriè corrumpuntur, quæ cùm ſint mixta perfecta tendunt ad imperfectum, & reſolvuntur in ſua principia; ut cùm moritur homo, ſolvitur à corpore anima, & redit ad Deum,

Digitized by Google

Deum, qui creavit illam in ejus conceptione; hoc patiens in pœnam peccati; (ſi enim peccatum non fuiſſet, perfectiùs natura proceſſiſſet in ſuis operibus) & cum moriuntur animalia corrumpuntur verè tranſeuntes ad deteriorem ſtatum, & reſolvuntur in ſua principia; & ità cùm arbores eradicantur, & ſiccatæ ſecantur in arida ligna, corrumpuntur; & lignum verè corrumpitur, quando comburitur, & reſolvitur in ſua principia, ex quibus erat compactum. Corruptio enim eſt quædam deformatio, & tendentia ad non eſſe; vel potiùs eſt terminus ipſe, in quem deſinit alteratio deſtructiva mixtorum, ut redeant in ſua principia. Neque nova forma introducitur in corrupto, ſicut fit in generatione; ſed expellitur forma perficiens, & remanet ejus carentia in ipſis formis elementaribus, quæ in mixtis perſeverant: hinc cadaver aliud non eſt, quàm corpus exanime; & poſitiva forma mortui corporis eſt actus ſubſtantialis, qui reſultat ex contextura partium elementarium, componentium tale corpus; non autem eſt hoc ipſum, quod ſit corpus mortuum, & cadaver; quia hoc dicit corruptionem, & defectum, ſeu deformationem animæ; quod non dat eſſe, ſed tollit; & ità eſt in accidentium deſtructionibus; ſi enim ſcientia in mente

Digitized by Google

mente deſtruitur, non generatur nova forma, ſed reſtat carentia ſcientiæ, quæ eſt ignorantia; & ità ſi minuatur. Hinc qui occidunt non dicuntur generantes, quia non introducunt in occiſis novam formam, ſed priorem deformant. Et propter hæc

Dico, quod elementa remanent in mixto, non quod in mixto denegem novam formam; ſed quia nova forma mixti perfecti perficit elementa, elevando illa de ſtatu inferiori, ad ſtatum ſuperiorem; puta, de eſſe ſimplici ad eſſe perfectè mixtum; & de eſſe inanimato ad eſſe animatum; ut verum ſit indè dicere: Hæc elementa ſic contexta, & inter ſe mixta, & unita ſunt animata; quia totum ſunt ſuæ partes ſimul ſumptæ. Et viceverſa fit corruptio per tranſitum deformativum, nulla nova forma genita; niſi carentia formæ per intellectum apprehendatur nova forma, quod patet etiam exemplis; nàm quinarius numerus, ſubtracta unitate, fit quaternarius; & ſpecies quinarii licet differat à ſpecie quaternarii, ſubtractio tamen non producit ſpeciem quaternarii, ſed relinquit, ut formaliter continebatur priùs in quinario. Nàm formaliter in quinario ſunt quinque numeri, qui reſpectu ſpeciei quinarii ſunt materia elevata, & ſpecificata ipſo numero quinario.

Undè

Digitized by Google

Undè 4. *Eſdræ cap.*8. 8. habetur. Et quomodò nunc in matrice plaſmatum eſt corpus, & præſtas membra; conſervatur in igne, & aquâ tua creatio.

Quæ ut meliùs intelligantur, conſiderandum eſt, quod aliter phyſicè ſpecies rerum provenit à ſuis principiis, aliter metaphyſicè determinatur. Phyſicè enim, ſicut res eſt una per omnia ea, quibus componitur, ità variata compoſitione, variatur in melius, aut in pejus totum compoſitum, manente eodem ſuppoſito, quandiù actus ſubſtantialis eſt capax regere omnia, quæ ſequuntur ad ipſum; v. gr. homo phyſicè immutatur uſque ad glorioſam immortalitatem, quandiù anima ipſius, quæ eſt actus ſubſtantialis corporis, fit capax, Dei virtute, regere omnia, quæ ſequuntur ad ipſam; ſicuti in ſerie naturæ quandiù eſt capax evadere in virum undequaque perfectum; quare *S. Auguſtinus lib.*12. *de Civit. Dei cap.*14. loquens de puero, qui reſuſcitare debet in virum perfectum, poſt ſæculi conſummationem, inquit: *Ipſa jàm membra omnia ſunt latenter in ſemine. Sed habent in ratione, non in mole*. Hæc autem phyſica progreſſio fit, cùm aliqua mutatione ſubſtantiæ phyſicæ: ità pariter, ſi mutetur in deterius, uſque ad interitum; & ſupernaturaliter

Digitized by Google

liter in mortuorum reſurrectione, cùm homo reprobus æternâ morte mulctabitur, patet, quod phyſicè valdè mutabitur à præſenti vitæ ſtatu,& conditione. Metaphyſicè autem quandiù eſſentiale prędicatum rationalis animæ non tollitur, patet,quod nulla eſt immutatio,quamvis de mortali, & corruptibili fiat immortale, & incorruptibile, quia ſalvatùr in tota hac latitudine ratio hominis. Propterea in quolibet ente duo ſunt præcipua. Endelechia, quæ eſt actus ſubſtantialis phyſicus, à quo, tanquàm à fundamento, & radice procedunt cætera omnia, quæ poſſunt ab ipſo procedere, ſive per naturæ leges, ſive per potentiam obedientialem, uni Deo ſubditam: & Energia, quæ ſunt omnes actus accidentales quantitatis, & qualitatum, quæ ſecundariò procedunt ab actu ſubſtantiali compoſiti; qui dùm phyſicè mutantur, neceſſe eſt radicaliter etiam immutari ſubſtantiam, quamvis metaphyſicè non mutetur.

Indè autem in univerſo magis reſplendet cauſarum ordo, ſubordinatio, & connexus: nàm Deus univerſaliſſima cauſa efficiens, & prima, neque agit ex præjacente materia, neque per motum, neque per tempus; & omnia operatur, & creat ex nihilo; quod non potuit ab

Digitized by Google

ab Ariſtotele intelligi, neque ab alio Gentili philoſopho, qui Fidei lumine carebat, ut probat *Pererius lib.5.cap.7.* Adducens multa Ariſtotelis principia philoſophica, quæ non verificantur de Deo, & ejus creatione. Poſteà eſt cœlum empyreum à Deo creatum immobile pro Beatis, ut per ipſius creationem, ab ipſo mundi exordio inchoaretur corporalis gloria in aliquo corpore, ut dicit *S. Thomas* 1. *qu. 66. art. 3.* complenda in hominum glorificatione, poſt hujus ſæculi conſummationem, in quem finem creata ſunt omnia: & hæc non poterant ab Ethnicis cognoſci. Hoc autem cœlum, licèt ſine motu, tamen habet influentiam univerſalem ſubordinatam à Deo, puta, virtutem continendi, & cauſandi, vel aliquid hujusmodi ad dignitatem pertinens, ut tenet S. Thomas, quia revera continet omnia corpora; & cauſat non per aliquid tranſiens, & adveniens per motum, ſed per aliquid fixum, & ſtabile. Indè ſequuntur aquæ cœleſtes ſupra firmamentum; quarum natura neſcitur, an ſit ejusdem rationis cum aquis ſublunaribus; ſed certè ſunt perfectiores; & veras eſſe aquas, pròpter debitam Scripturæ ſacræ reverentiam, non eſt dubitandum: nàm dicitur *Pſalm.* 103. 3. Extendens cœlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora

c ejus,

Digitized by Google

ejus, & paſſim alibi ſimilia. Et iſtæ aquæ cum motu firmamenti, in quo ſunt ſydera fixa, ſunt ſimul cum firmamento cauſæ univerſales, ut occultiſſimas virtutes per lucem ab aſtris transmiſſam in hęc inferiora communicent. Cœlum verò planetarium æthere plenum, & luce, per ſeptem ſolidos planetas in hæc item inferiora movet ſubordinatè transmittendo lucem ſimul cum illo igne fluido, qui per æthereas regiones undequaque diſſeminatus eſt, ut puriſſimum elementum fluidum, qui recipit varias qualitates à ſingulis ſtellis, & planetis; nàm ſtella differt à ſtella in claritate, 1. *Cor.* 15. 39.

Et quod cœlum planetarium non ſit ſolidum, magis concordat cum Sanctis Patribus. *Ambroſ. hexaem. lib.* 5. *cap.* 6. *Chryſoſt. in Geneſ. cap.* 1. *homil.* 4. Qui unicum ſolidum tenens cœlum, quod eſt firmamentum; ſic inquit: Quis igitur poſt tantam doctrinam ferret eos, qui ex ſuo capite loqui, & contra divinam Scripturam, multos cœlos dicere audent? Et *Baſ. homil.* 1. *in hexaem.* ait: De ſubſtantia cœli ſatis faciunt illa nobis, quæ ab Iſaia ſunt dicta, qui vulgaribus verbis idoneum de natura cœli nobis ſenſum aperuit, dùm dicit: Qui firmavit cœlum quaſi fumum; ideſt, qui tenuem naturam, non ſolidam, neque craſſam ad conſtituen-

Digitized by Google

tuendam cœli naturam fecit. Et alii paſſim.

Hæc autem omnia moveri ab Intelligentiis à Deo creatis, & ordinatis, ut aſſiſtant, omnium conſenſus eſt. Idcircò de Angelis primâ die creatis cecini. Ità ergò ſuperiora diſpoſita ſunt à Deo, ut inferioribus cohæreant, per aerem, & aquam, elementa fluida, quæ de ſuperioribus lucem, & ignem, & motum recipiunt; & mota ſurſum à terra immobili, per exhalationes terreas commiſcentur, ut fiant mediæ mixtiones, cujusmodi ſunt meteora, quę aliquando reperta inveniuntur in cœlo planetario ſupra lunam; ſed ibi certè non poteſt dari perfecta generatio, quia ibi ſemina ad generationem non ſunt creata; quæ niſi Deus creaſſet in terris, & virtutem dediſſet, ut formam mixti producerent, nunquàm natura perfectam generationem, ex elementorum ſolo concurſu feciſſet. Quod S. Chryſoſtomus conſiderans, contrà eos, qui ex præjacente materia contendebant fieri omnia, nihil aliud plus requirentes; ait: Primus nè homo ex terra formatus eſt, an aliundè? Omninò dicent, ac fatebuntur, quod ex terra. Dicant igitur nobis: Quomodò ex terra facta ſit natura carnis? Ex terra enim lutum, & lateres, & figulinum vas, & teſta fieri ſolet. Quomodò ergò natura carnis facta eſt? Quo-

Digitized by Google

modò oſſa, nervi, & arteriæ, & adeps, & cutis, & ungues, & capilli, & ex una præjacente materia diverſarum ſubſtantiarum qualitates? Sed ad hæc nè mutire quidem poterunt. *In Geneſ. cap.* 1. *homil.* 2.

Ultimò tandem ſunt agentia univoca ad veras rerum generationes, quibus conceſſum eſt ſemen in ſuas ſpecies, ut eo procedant, adjuta concurſu cauſarum univerſalium, aſſimilando quæ ſunt diſſimilia, & ſecernendo quæ ſunt diſcrepantia propriis quorumcunque principiis;& ità uniuscujusque generantis natura aſſumit ex elementis in alimentum ſeminis, quod magis eſt ſibi proportionatum; & rejicit ut excrementitium, quod ad ſua jura non facit; & indè videmus, quod plantarum alimentum magis eſt proficuum, quod non eſt purum elementum, ſed ex his magis commixtum; & quod animalium nutritio non fit per terram, & aquam, ſed per fruges, herbas, & fructus; immò per carnes etiam animalium poſt diluvium; quia hæc magis accedunt, virtute vegetabili, ac ſenſibili ad conſtituendam, augendam,& conſervandam propriam naturam; quia omnia, quæ de ſemine nata ſunt, etiam in ſingulis ſuis partibus ſervant virtutem vegetam, ut faciliùs eleventur à forma mixti, & transferantur

Digitized by Google

rantur in virtutem ſenſitivam, animalem, atque vitalem. Et idcircò portiones vegetabilium ſæpè ſupplent ipſum ſemen ſui principii, ut ex ipſis fiant generationes, ſicut ex traduce arboris fit arbor, & ex putri carne, aut carie ligni fit vermis. Deus ergò ex nihilo facit omnia ſine motu, & paſſione; ſed ſua voluntate; quia omnia quæcumque voluit fecit in cœlo, & in terra, & in omnibus abyſſis. Cœli, & elementa univerſaliter omnia faciunt ex fluidis, partìm ſine motu, ut empyreum, & terra, & partìm cum motu, ſicut ſtellæ, & planetæ, moventes ignem, aerem, & aquam, & tendunt ad medias mixtiones fluidorum, pro mixtis perfectis juvandis. Cauſæ verò univocæ cum propriis ſeminibus ex mediis mixtionibus generant mixta perfecta, & per ſubſtantialem generationem effectus individuos conſtituunt. Ars verò applicando activa paſſivis, aut quæ natura poteſt facere, expectat; aut ex rebus à natura deſumptis accidentaliter ſua opera fabrefacta connectit. Corrumpuntur verò, quæ ſic ad perfectum deducta mox in ſua principia reſolvuntur, & deſtruuntur.

Deindè cùm Deus lucem creaverit, quæ propriè eſt qualitas ſimplex annexa igni, viam aperit ad accidentium ſeparabilium cognitio-

Digitized by Google

nem; nàm ità poterit dari ignis ſine luce, ſicut fuit antequàm crearetur lux ad ipſius perfectionem in illorum ſententia, qui dicunt in principio eſſe omnia ſimul creata, & per ſex dies perfecta, diſtincta, & in ſpecies infimas etiam mixtorum conſtituta. Ignis ergò ſine luce poteſt eſſe, ſicut eſſe credimus in inferno; ità non mirum erit ſi ponamus, illum plùs minùs ubique latentem, & non lucentem, niſi ordinatim moveatur per medium à ſuis propriis motoribus, ut ſunt ſol, & luna, & ſydera omnia, & penès nos faces, & lucernæ. Immò etiam poteſt ab illo removeri qualitas urendi, ut dicit ex Platone *Auguſtinus de Civit. Dei lib.* 13. *cap.* 18. relicta qualitate lucendi, ſicut evenit in fornace Babylonica tribus Pueris, qui ambulabant in medio flammæ laudantes Deum *Dan.* 4. 24. Et naturaliter etiam ignis valdè rarus, & levis non comburit, ſicut in temperatè calidis admixtus, & minori portione attemperatus in tepidis. Exindè autem fit uſtio, cùm intenſiùs, & vehementiùs ignis movetur, quod ſi non moveatur, neque lucet, neque comburit, neque calefacit; ut dicimus evenire in mixtis, in quibus ignis conſtipatus eſt, & quodam formæ glutine conſpiſſatus, atque concretus, ut in oleo, cera, ſulphure, ligno, & ſimi-

ſimilibus combuſtibilibus, in quibus plùs minùs eſt ipſe ignis diuturno ſolis, & cœlorum motu conjectus. Quamobrem dico ex Deo ſic accepiſſe, ut poſſit penetrare, & in ſuis partibus penetrari mutuò; ſed iſta penetratio non refunditur in dimenſionem quantitativam; ſed in qualitates rerum; ſicut enim quando percutitur pila, impulſus penetrat totam pilam, & per motum in aera ſurſum paulatìm defluit, & quod collectum fuerat, paſsìm explicatur; ità evenit in denſo, cùm fit rarum; & ità ad certum ſignum pono corporum quandam penetrationem, quæ refunditur in actus accidentales compoſiti; ſed ità divinitùs poteſt augeri, ut corpus omni loco abſolvatur, ſicut fit in Chriſti Corpore, quod Sanctiſs. Sacramenti ſpeciebus abſconditur.

Cæteroquin nullo modo poteſt admitti, quod penetratio propriè dicta, conſiſtens in hoc, quod unum corpus non expellat aliud ab eodem loco, poſſit fieri ſine miraculo; effectus enim ſecundarii cujuſcumque rei non poſſunt impediri per virtutem naturalem. Quemadmodùm quia effectus ſecundarius quantitatis eſt occupare locum, ideò naturaliter eſt impoſſibile, quod detur corpus quantum, & per virtutem naturalem impediatur ab hoc, quod

Digitized by Google

eſt occupare locum, ſed idem corpus magis, aut minus extendi ad locum, eſt effectus majoris, aut minoris energiæ.

Ex his principiis infero quantitatem accidentalem, cùm omnibus qualitatibus poſſe à ſubjecto ſeparari, ſicut de facto ſeparantur in Euchariſtiæ Sacramento. Mòx verò, quia in concreto accidentia prædicantur de ſuo ſubjecto, & ità corpus eſt quantum, quale, & relatum, & in Sacramento concretivè dicitur de ipſo quantum, & quale; nàm verè Sacramentum illud eſt quantum, & coloratum; diſtinguo, quod ſubjectum accidentium, ſemper à mente noſtra excogitatur; ſive ſit illud tantùm logicè, ſive phyſicè, aut alio modo; ſed ità concretivè accidentia, non poſſunt intelligi ſeparata à ſubjecto; & cùm ipſa ſubſtantia panis, & vini quanta, & qualis tranſierit in ſubſtantiam Corporis Chriſti; dicendum eſt, quod illa verè ſint accidentia corporis ſeparabilia, quæ promanant ab actu corporis ſeparabili, & non quod intelligitur idem cum corpore; cùm verò actus ſeparabilis corporis ſit ipſa Energia corporis, quâ corpus redditur ſenſibile; ut quantitate extenſa redditur locabile, & à circumſtantibus corporibus tangibile, atque circumſcriptum; pondere actuali redditur grave,

& ſic

Digitized by Google

& ſic menſurabile; qualitatibus coloris, ſaporis, & hujuſmodi expanſis redditur viſibile, ſapidum, & ità de cæteris. Iſtæ corporis energiæ, quas dicunt Peripatetici actus accidentales ſubſtantiæ, & dici poſſent etiam momenta ejuſdem ſubſtantiæ, ſunt accidentia ſeparabilia, quæ de facto ſeparantur in Euchariſtiæ Sacramento, cùm Dei virtute remaneat quantum ſenſibile, extenſum, locatum, & quale viſibile, ſine ſubjecto. Nàm energia eſt quædam quaſi actio, & operatio interior, quæ eſt veluti via, ac dux, ad exteriorem corporis actum, ut definit Paſſeratius. Undè ſicut corpora glorioſa, pro ipſorum dote habent, ut reddantur viſibilia, & non viſibilia; gravia, & non gravia; penetrabilia, & non penetrabilia, & hujuſmodi; ſic etiam Corpus Chriſti in Sacramento remanet quantum, & quale, ſine locabili extenſione, aut ſenſibili qualitate; atque interìm ſubſtantiâ panis amotâ, remanent accidentia locabilia, & ſenſibilia, ex quibus reſultant ſpecies ad ſenſum noſtrum; manifeſtè patet, quod hujuſmodi momenta, & energiæ corporis ſunt ſeparabiles ab ipſo corpore in ſe quanto, & quali. Et hæc præcipuè intendo metris exprimere, ac declarare, cùm dico, non dari accidentia concreta, quin ſimul non ſint cum ipſa

Digitized by Google

ipſa re, cujus ſunt accidentia; & ſic non dari colorem ſine re colorata, neque quantitatem ſine re quanta; in abſtracto autem ſeparari à mente, cui proprium eſt ità intelligere; ſed quædam accidentia ſunt de facto ſeparabilia etiam à natura, ut ſunt motus, locus, & ſpecies ſenſibiles; quod exemplis probo: Nàm poteſt videri ignis, ubi non eſt; & videri aſtrum, ubi non eſt, per refractionem, & degradationem; & quia Deus eſt infinitè potentior, quam ſit natura; ideò ſi natura hoc exhibere poteſt, ut ſeparet ſpecies ſenſibiles, & motus, & figuras ab objecto; multò magis Deus ſeparare poteſt ab objecto ſpecies omnes ſenſibiles, cum ipſo motu, & loco, & conſervare ipſas ità ſeparatas, & noſtris ſenſibus ſic exhibere ſenſibiles, & locabiles; ſed quia ſpecies ſenſibiles proveniunt ab objecto, non qualitercumque accepto (non enim à Corpore Chriſti quanto, ſed inextenſo, ut eſt in Sacramento, promanant hujuſmodi ſpecies). Ideò pono, quod ab objecto naturaliter promanant energiæ, per quas corpora fiunt extenſa, locata, & ſenſibilia; & quod ipſi etiam ſenſus, per ſimiles energias actu ſentiunt, quibus impeditis, non ſentirent actu. Et quod licet à natura ſimiles energiæ non poſſint diù ſeparatæ conſervari; Deus tamen

Digitized by Google

men ſua omnipotentia poteſt ſeparare, & diù ſeparatas conſervare, concurrens ad illarum conſervationem in genere cauſæ efficientis, ut tanquàm actus naturales ſubſtantiæ exerceant ea munia, quæ priùs exercebant, cùm erant ſuo principio conjunctæ. Ità de facto ſeparat energiam omnem panis, & vini in Sanctiſſimo Sacramento, & diù ſervat ſeparatam; & hæc eſſe illius admirabilis Sacramenti accidentia.

Hæc præcipua ſunt, quæ intenduntur in hoc opere, ad diluendas Athomiſtarum ſubcreſcentium opiniones, ſatis in Fide periculoſas, cum quibus rem agens, ex ipſis Fidei fundamentis, in quibus dicunt ſe convenire, quædam ipſorum affata deſumo, bonâ etiam Peripateticorum veniâ, non quaſi ab ipſis defecerim; ſed quia durum eſt, quando aliquis eſt in via, cum adverſario, nihil ipſius ultrò concedere, ut deducatur ad ea, quæ non concedit; nàm ſcriptum eſt: *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dùm es in via cum ipſo. Matth. 5. 25.* Propterea licet ipſis negem athomos Democriticas, etiamſi ſupponant à Deo creatas in tempore; quia Deus eas non intendit creare, ſed creavit corpora plena, ut ſunt aqua, terra, aer, ignis, firmamentum, ſtellæ, planetæ, quæ totum

Digitized by Google

totum mundum replent, & non relinquunt ſpatiola vacua. Tamen non nego illis minutias, particulas, & moleculas, quibus natura concurrat ad alenda ſemina, & contexenda in corpus miſtum; & quod contexturâ partium minutarum reſultet forma ſubſtantialis in mixto, quia re vera hæc alteratio præcedens requiritur, ut perveniatur ad genituræ perfectionem.

Illis etiam ultrò concedo, quod per naturæ creatæ vires elementa non transferantur ad invicem, neque corrumpantur in mixto; ſed ſua formalitate remaneant; quæ quidem cum illis intendo probare: ſed ſimul unà contra illos deducere, quod forma elementaris formaliter elevatur ad formam mixti, ut exindè reſultante una mixti forma fiat perfecta,& ſubſtantialis generatio; quia nimirum Deus ità fecit ſimplicia elementa miſcibilia, ut pro præſenti ſtatu, atque exigentia naturæ forent perfectibilia ſubſtantialiter, & tranſirent de eſſe inanimato ad eſſe animatum, & perfectum: hinc enim Deus juſſit, quod terra germinaret, & aquæ producerent natabilia, & volatilia; & animalia creſcerent, & multiplicarentur. Quod niſi juſſiſſet, nunquàm alteratione elementorum proceſſiſſet perfecta gene-

Digitized by Google

neratio. Sed interim oſtendens, qualiter Deus ſupra naturam agens transmutaverit ipſa elementa in aliud, putà, cœli materiam in firmamentum, ſtellas, & planetas; & aquas, ac terram in animalia, ex quibus hæc produxit primò: & poſſit etiam elementum unum in aliud transferre, & facere quodlibet, ex quolibet, ut de aqua vinum; de igne aquam craſſam; hinc infero contrà ipſos, materiam primam, ut ab Auguſtino, & Angelico ſolet explicari, ſine ullo prorſus actu. Eodemque modo, cùm illis probans in corruptionibus fieri ſolutiones partium ad ſua principia, & non generationes, ut cùm de re combuſtibili fit ignis, & vapor, & cinis, & fuligo, quæ potiùs elici, quàm generari debeant dici; quia corruptio tendit ad imperfectum, & ad deficientiam, & ſolutionem compoſiti in ſua componentia. Interim dico, quod deſtruitur forma ſubſtantialis compoſiti, quæ reſultabat ex ipſa contextura, & harmonia partium ad totum, tanquàm ex ultima diſpoſitione ad generationem, quod non admittunt.

Ità pariter cùm ipſis conſentio, quod virtus ſeminalis conſervetur non modò in ſemine, ſed ſeminium ipſum per partes propagetur, ità ut ſi ex arbore procedit fructus,

&

Digitized by Google

& ſemen; ſeminium ipſum non modò in ſemine, ſed etiam in ramis arboris, & in fructu, & ſucco, & foliis propagetur; undè virtus ejuſmodi ſeminalis poſſit procreare aliquid ſimile; ſed non ità perfectum ſicut ex proprio ſemine: ità fit ut vinum ipſum ab uvis expreſſum, habeat virtutem vitis, ut poſſit in ſe convertere per mixtionem perfectam ad totam formam vini aliquid aquæ; & ſic de ſimilibus exemplis.

Sed interim dico, quod forma ſubſtantialis mixti, virtute ſibi traditâ, dùm aſſimilat, & elevat ad ſe paſſum, illud ſubſtantialiter informat, & non tantùm contexturâ nectit; & ſic latenter illis formas ſubſtantiales corporum inſinuo, atque ſuadeo, nè ipſorum totum compoſitum ſit tantùm per accidens, & juxtà partium poſitionem, & ſitum, nulla communi cohærentia ſubſtantiali compoſitum. Et dùm illis nego particularum indiviſibilium figuras, appetentias, & hujuſmodi, quæ introducunt ad ſalvandam corporum ſoliditatem, fluiditatem, humiditatem, ſiccitatem, & hujuſmodi; illis ſuadeo partium penetrabilitatem, pro raro, & denſo explicando, & expanſionem, quæ valdè congruunt aſſertis Fidei; nàm ſi Deus mira-

ra-

Digitized by Google

raculo facit, ut unum corpus ſit ſine loco, ſine pondere, ſine menſura, & hujuſmodi, quare non potuit facere, ut ignis penetraret, & penetraretur in ſuis partibus collectis, uſque ad gradum aliquem, quem ſuffert natura, cùm videamus condenſari magis, & minus? Hoc autem non refundimus in naturam corporum, ſed in ipſorum actus accidentales, quos energiam vocamus.

Cùm illis item conſentio, nihil eſſe calidum, aut tepidum ſine mixtione ignis, & ità ſine igne terram, aquam, & aerem eſſe frigida; ut docent etiam Platonici, & Stoici; ſed contrà illos etiam affirmo calorem, & lucem ab igne poſſe amoveri, ut de facto ab igne infernali amovetur lux, & non calor, & dæmones igni cruciati, cùm in energumenos invadunt, non poſſunt facere, ut illorum ignis comburat vel minimam partem corporis obſeſſi, in quam etiam per legiones collecti conſpirent. Et ſic de ſimilibus. Quæ omnia, cùm nihil contrà Fidem moliantur; ſed potiùs pro roboranda Fide plurimùm faciant, & pro illorum principiis demoliendis militent, non eſt, ut ampliùs immorer ad meam intentionem in OPERE SEX DIERUM manifeſtandam. Omnia tamen de-

Digitized by Google

demiſsè ſubjiciens Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ cenſuris, & correctionibus, ità velim dicta ſint, ac ſi minimum pugnent, abolita, nulla, & caſſa cenſeantur.

JO-

Digitized by Google

JOANNIS CHRYSOSTOMI
A SANCTO PAULO
Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei
Scholarum Piarum.

HEXAEMERON
Metris expreſſum,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO
ANNIBALI
ALBANO
CLEMENTIS XI.
PONT. MAX.
Ex Fratre Nepoti,
Sanƈti Petri de Urbe Canonico,

AUTHOR HUMILLIME'
D. D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN HEXAEMERON
PROLEPSIS,

Quæ ante Opus Sex Dierum intelligi debet.

THEMA.

Præmiſſo Exordio, ac Operis Dicatione, poſtmodùm Deus ante omnia ſemper fuiſſe deſcribitur, ſimpliciſſima Unitas, & immutabilis: Mens omnia ſciens; Voluntas omnia Potens; Ens undequaque perfectiſſimum, & univerſaliſſimum; Principium, & Cauſa libera Rerum creabilium; qui cum ſit ante Dies omnes, & res, in ſe Unum, Verum, Bonum; & TRINITAS *eſſe affirmatur* PATER, FILIUS, *&* SPIRITUS SANCTUS; *Tùm Perſonarum in Una Divinitate Notiones, Proceſſiones, & Proprietates breviter explicantur.*

Operis Intentio.

ARtificem Mundi, Res, & Primordia Rerum,
Quid certâ ratione capi, quid Lege teneri
Naturæ, Fideique ſimul, ſensûsque periclis,
Et quid opinari liceat, Mens dicere vovit.
Difficiles dictu Cauſas quis proferat apto [a]

[a] *Cunctæ res difficiles non poteſt eas homo explicare ſermone.* Eccl. 1. 8.

Carmine? Dicenti ſunt plurima Verba; minorem
Mente ferunt ſenſum, Dialecton olentia vanum. a
Qui noſti quicquid faceres, Tu ſumme canenti
Pande, PATER, veri ſimulacra latentis, & ortus.
Te ſequar; eſte procul, Veneres, procul eſte Camœnæ:
„ Ornari res ipſa negat, contenta doceri.
Ardua ſuſcepi, modulis efferre Latinis
Numinis arcani vires, occulta creatæ
Robora Naturæ, noſtræque vagantia mentis
Spectra, quibus parcam ſuperat ſententia linguam.
Sed quia quamplures delectat iniqua ſepulti
Democriti tabes, carieque Lucretius altâ
Dignus; Opus levius, quo ſe ſapientiùs ornent,
Molior indemni Fidei ſplendore, quod illos
Materiâ præſtante recens ſermone laceſſat.
At neque par fuerit ſophiam parere lituris
Grammatices, ubi conceptus præceſſerit Arti,
Quin obducta novis poſſit prodire cucullis,
Et menti ſociare Fidem, mentemque loquelæ.
Difficilis labor; at facilem Divina labori
Gratia præſtet opem: Studio Cenſura remittat.

Operis Dicatio.

ANNIBAL ALBANO prognatũ ſanguine Germen,
Cui ſummus Pater, & Patruus, Fideique Magiſter
CLEMENS UNDECIMUS primas ex ordine defert,
Et merito; tribuitque minus pro jure propinquæ
Sortis, ut auſpiciis Animum majoribus ornet;
Hoc opus excipias, quamvis exile; tuarum
Robore virtutum pronum grandeſcere; Ne Te

Dede-

a *Verba ſunt plurima, multamque in diſputando habentia vanitatem*. Eccl. 6. 11.

Dedeceant Muſæ, facilem quem Pallas honorat.
Hic tenui commixta leges modulamine cantûs,
Dum ſucciſivis genium laxaveris horis,
Admiranda tibi gravium ſpectacula rerum,
Divinum Decus, & ſenis diſtincta diebus
Plaſmata, quâ ſurſum Cœlos extenderit Arte,
Quâ Terram in vacuas firmis appenderit auras
Aggeribus, liquidoque ſinu vallarit Abyſſos,
Omnipotens: Ubi lux tenebras ex Orbe fugarit,
Et molem exanimem tepido confoverit Æſtu:
Quid Firmamenti ſtabili diſcrimine lymphas
Abſciderit, Terramque Freto detexerit imo,
Ne Domus hoſpitibus deſit, victusque futuris.
Quomodo Sol, Luna, & Stellæ, noctemque, diemque
Curſibus alternis varient, lumenque miniſtrent;
Ut latices unà tulerint genus omne Natantum,
Et Volucrum; ceſſumque ſolo Genus omne Ferarum,
Atque Hominum. Nihil attactum dimiſimus horum,
Quæ Deus, & Natura facit: Cur omnia non ſint
Ingenio ſat digna tuo? quem ſumma per omnes
Delectat contemplantem ſapientia cauſas.
Præterea tua me pietas huc impulit, ut res
Principiis Fidei ratio demonſtret, & Ordo;
Ne quis decipiat per inania Verba Sophorum [a]
Socordes Animas: Et quæ Stoa tradidit, & quæ
Vel Peripatus habet, vel fert Abdera cachinnis,
Diſcipuli jurent in Dogmata prava Magiſtri.
Nam Divina Fides, multo præclariùs omnes
Diſſipat errorum tenebras, quam ſenſus, & anceps
Judicii tenor. Ipſe docet nos Chriſtus, & ipſe
Qui gerit in Terris Chriſti monumenta: quid ergo

a Coloſs. 2. 8. *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm Elementa Mundi, & non ſecundùm Chriſtum.*

Non tibi devoveam cæptum, qui proximus illi es?
Materiâ ſuperatur opus; ſi vilius hoc eſt,
Excipe quod gravius noris; permitte juventæ
Caſtalidum phaleras: Juvat oblectare vacantem,
Et ſimul utiliter ſtudiis offerre litatis
Argumenta, quibus brevitas majora legenti
Suggerat. ALBANO patiens hæc nomine ſcribi,
Spem dabis augeri tecum, magnamque Curulem
Pontificis, Monteſque ſacros, & Sydus avitum
Tergemino mentis niſu devota vereri.
Sic igitur quandoque tuas exolvere laudes
Fas erit, ut Titulos Minio ſignare licebit,
Et calamis haurire Oſtrum, cedroque Papyros
Imbuere. Uſque adeo tacuiſſe modeſtia juſſit.
At veniet decreta Dies, cum plurimus Heros
Efferet illuſtres ALBANÆ Gentis Honores,
ANNIBALEMQUE canet, mores, inſignia, curas,
Geſta, Miniſterii Jubar immortale ſupremi.
Interea quicquid legis hìc, ænigmate dictum
Crede tibi, rerumque notis meditabere cæſum;
Nam Deus, atque Trias, Cœli, Terræque Creator
Sorte tuâ contentus agit, ne quidlibet infra
Fortunæ regimen teneat Pater Urbis, & Orbis,
Quin Tua ſe Probitas operâ, ſtudioque ſecundet.
Verum Ego quid pluris fiam, ſi vertice triplex
Mons humilem attollat Muſam, fauſtoque ſub Aſtro
Zona ſtylum comat? ſatis hinc, ut detegar omni
Parte Domus tantæ demiſſus in omnia ſervus.

De Deo Uno, ejusque Attributis.

ENs erat; eſt ipſum, quod nunc, & defore nunquam
Eſt opus, invariabiliter, quod permanet in ſe.
Quod quid erat, totum eſſe ſuũ eſt, Totum eſſe remotũ
A toto;

A toto; ſatis inde, quod EST immobile, primum
Principium ſine Principio, ſine Nomine Nomen
Quem dixere Deum; præter quem nulla perennat
Æternùm Virtus, ſupra quem nulla Poteſtas
Eminet; Excelſo nihil eſt ſublimius illo;
Et per ſe ſtanti nihil eſt excelſius Actu,
Cui nequit ulla ſuos paſſiva Potentia nevos
Pingere. Formoſo nihil eſt formoſius illo.
Hoc autem, ſuper omne quod eſt, ſic eſſe neceſſe eſt,
Et per ſe notum ſenſus excedere noſtros.
Si quid enim mens noſtra ſuis intelligit umbris,
Inſtat adhuc reperire Diem, Lucemque Diei,
Quæ licet in Solis faciem cæcutiat audax
Ex imâ tamen, & mediâ caligine metam
Aſſequitur, novitque Uni quamplurima cogi.
Felicem ſatis Hanc propriis, Hanc eſſe Beatam
Mentem omni plenam Veri Bonitate Fideles
Novimus, & quadam rationis imagine ſanctum
Attigimus limen; Nec enim ſibi mobile quicquam
Sufficit: Et rerum Facies, & Motus, & Ordo
Authorem Primum monſtrant; Nam quicquid Eidem
Rebere Par, deſitque alii, quod ceditur UNI;
Cui primas dederis? vel quod venerabere ſummum?
Aut diſpar: tamen hoc careat, qui Maximus omni
Præminet exceſſu rerum. Sed quorſus euntem
Diſtrahit obtutus? longè ſopita jacebant
Omnia ſub NIHILI tenebris, ſpectandaque nunquam,
Ni Deus immotâ torpentia trudat Abyſſo.
Nam patet omne Deo demiſſius eſſe ſub omni
Conditione Boni, neque dimanare coævum
Par, impar, vel ſponte ſuâ, vel fortè coactè,
Quod ſe prætereat, quod jura ſuprema refellat;
Propterea immensùm diſtant à Numine quævis,
Et nihilum ſortita ſuum Deus omnia novit
Ante Dies omnes; & tunc nihil extitit uſquam.

Digitized by Google

Tum ſatis, & nulli invideat; MENS unica Verum
Contemplabatur, nihil à ſe paſſa videri
Diverſum: ſe ſe fruitur Divina Voluntas;
Se capit immenſum ſapientia Vivida, Vivens
Intellectivo, quo percipit omnia, corde,
Et comprehenſivo ſe concipit omnia viſu.

Omnia non factu Deus eſt, hinc omnia factu
Prævidet, & parili diſtinguit ſingula nutu,
Quæ fieri poſſunt. Ecquæ non prodere poſſit
Omnipotens? Movet arbitrio quæcumque benigno,
Et vocat ut fuerint, quæ non ſunt; Ipſa volenti
Viſio Ductilium tantummodo Regula rerum
Extitit, & certâ decrevit origine pridem
Cuncta futura, ſuis cauſiſque regenda, modiſque.

Sic libitum eſt; ſic Fata vices conſtantia pandunt.
Hæc igitur rerum ſunt Fata latentia, primæ [a]
Lecta Voluntatis decreta volentis id, illud
His, illis conſtare modis. Quæ Caſus adurget?
Quos Fortuna premit? premit ignorantia Mentes
Humanas. Menti primæ Vis nulla reſiſtat.
Quæ videt, atque probat, ſerie qua proſpicit eſſe,
Sic aderunt, neque defectus obvertere poſſunt
Efficiens Numen, cui quæque futura jubentur.

Cætera Dius Amor fatis immota relinquit
Jugiter eſſe nihil, quæ cum non eſſe repugnent;
Nota Deo ſunto; ſed ſunt quoque nota ſub ipſis
Rerum limitibus non Entia quæque. Videntem
Nil latet; aut aliquid contradictoria ſacris
Legibus indignum faciant, aut libera primæ

Jura

---

a *Fati nomine intellige Divinam Providentiam omnia prædeterminantem, ac præordinantem, ut docet* Divus Thomas parte prima quæſt. 116. artic. 3. & quodlib. 12. quæſt. 3. artic. 4.

Digitized by Google

Jura voluntatis renuunt, Idea ſcientis [a]
Ipſa, per hoc ipſum, quod ſe cognoſcit, & omnes
Res, etiam mala cognoſcit ſemota per ipſum,
Eſt eadem: Quia cum Totum ſe cominùs altâ
Mente notet, nihil eſt alienum quodlibet extra
Notitiam; Virtute ſatis ſpeculatur in ipſa,
Omnia poſſe; Quod eſt trans hæc, nihil eſſe probatur.
Sic igitur proprio bonitas ditiſſima tractu
Res numero ſtatuit certas, juſſitque Parentis
Impoſitas ſervare ſui ſua fœdera metas.
Hæc ita comprehendit; non eſt ſecus ulla Peritis
Diſciplina Viris, quam talia vera ſequantur,
Qualia concepit primævo lumine Numen.
UNUM eſt; Hoc UNUM dūtaxat & eſſe neceſſe eſt. [b]
Quæ placito conceſſa ſuo ſplendeſcere, nullam
Vim, niſi dicentis contra patiuntur; & eſſe
Contingunt. Cur hoc rogites, cur illud, & illa
Sorte laboratum? Voluit ſic eſſe Magiſter
Fortiter attingens Operum quaſcumque ſuorum
Particulas, Nexus, Cauſas, Effecta, Sequelas.

De Sanctiſſima Trinitate.

NUnc agedum dicam, quanto decoratus honore
Purus in Æternum non otia duxerit Actus,
Cunctorum locuples, qui nullius indiget, Uno
Se ſatis, omne quod eſt, Eadem Natura Relatis

Per-

---

a *Sic intellige, quod per hoc ipſum, quod Deus cognoſcit bona, cognoſcit etiam mala, ut ait* S Thom. par. 1. q. 14. art. 10. *non verò quod detur idea malorum, quia malum non habet in Deo ideam, neque ſecundùm quod idea eſt exemplar, neque ſecundùm quod eſt ratio.* Ibid. q. 15. art. 3. ad 1.

b Luc. 10. 42. *Porrò unum eſt neceſſarium.*

Perſonis ornata Tribus: Pater, Inclyta Proles,
Et Flamen: Triplici Deus Unus in Ordine fulget. a
Hæc doceat divina Fides, ſecurior omni
Doctrinâ, quo me verax Deus edocet almum
Dogma Prophetarum conſenſu, recta Fidelem
Conſolidat Ratio naturæ lumine major.
Hæc Methodus ſapientis erit. PATER intellectu
Fœcundus, Deitatis opes, dum concipit intra,
Terminat æqualem ſubſtantia viva Figuram,
Lux lucem accendit, prolataque Dictio toto
Plena Deo Dicentis habens conſortia, VERBUM
Exprimit, & ſtabili Viventis origine naſcens,
Vi procedendi ſimilis, Genitoris Imago
Filius eſt, par ipſe Patri, de Patre perennis
Gloria procedens, & ſplendor in omnia compar.
Quippe ſibi ſimilem Mentis puriſſimus Actus
Concipit, inque Deo nihil accidit eſſe; quid ergo
Limitet immenſam Genitoris Notio mentem,
Quin ſua non æquè communicet omnia Proli?
Numquid erit ſterilis ſibimet, qui cætera pleno
Fœcundat gremio? non extera cuncta coæquant
Virtutem immenſam Patris, quâ poſſit haberi
Mundus ab æterno pariter puriſſimus Actu,
Parque Pari; ac ſimili ſimilis. Secus unde vocetur
Omnipotens? Actus puriſſimus? Aggeris expers,
Si Deus eſt Animus Mundo, vel Filius ipſi
Mundus inæquali procedere ſorte repertus?
Quippe velit plures Mundos, pluresque ſub ipſum
Numinis imperium fiant, juſſique perire,
Protinus intereant: Idem Deus, Actus & idem
Permanet, & deſes non eſt, neque Mole creatâ
Gran-

a *Nomine Ordinis intellige Relationem, quâ ordinatè Pater eſt prima Perſona, Filius ſecunda, & Spiritus Sanctus tertia.*

Digitized by Google

Grandeſcit, neque deſtructâ decreſcit, ut extra
Se ſit, quicquid habet finitæ limina ſphæræ.
Intra ſe totum Deus eſt, intelligit, & vult:
Et Verbo Virtutis agens ſua munia, portat
Omnia; deque Deo Deus eſt, de lumine lumen.
  At Patri, Natoque parem puriſſima ſortem
Uſia cum tribuat, compar ex corde voluntas a
Palpitat: in ſpeciem Prolis redamantis amatam
Flagrat Amor. Sanctè caſtum propendit in Ignem
Mutua Flamma Patris, Natique; & SPIRITUS halat
Pondus Amoris idem, qui terminus eſſe duorum
Obtinet. O Bonitas, & inenarrabile Donum,
Procedens ab utroque Deus! Deus Unus in ipſis
Perſonis, non ipſe duplex, triplexque ſuâpte
Naturâ eſt; neque per partes Proceſſio Mentis,
Atque Voluntatis, Deitatem terminat intra
Se; quia nil extra ſeſe communicat Unum,
Quod ſit Naturâ Deitas. Pater Ordine Primus
Omnia cum dederit Genito, Fons ipſe vocatur
Spirandi; neque propterea caret Almus amandi
Munere Filius; exit enim proceſſus Amoris
Mutuus à Binis; Mentis Proceſſus ab Uno
  Sic nobis fari liceat. Tria Numen in Unum
Non confuſa ſimul ſubſiſtunt: Verus eumdem
Geryones profert triplici ſub Hypoſtaſe vultum. b
Hic nihil eſt factum (fieri dicuntur ab Arte
Materiam quærente novis fabrilia formis)
Hic nihil infectum, nihil à majore creatum
Majeſtate: nihil caſu ſuccedit; idipſum
Eſt Triadi Monas, & Monadi Trias: æqua Poteſtas c
In Tribus: Omnipotens, Sapiens, Bona; Prima Secundæ,
Atque

a *Uſia*. *Eſſentia*. S. Auguſt. de Civit. Dei lib. 12.
b *Hypoſtaſis*. *idem ac Perſona*, *& ſubſiſtentia*.
c *Monas*, *ideſt*, *Unitas*.

Digitized by Google

Atque Secunda refert ſe Primæ, Tertia Utrique,
Utraque Tertiæ: Idem ſub originis ordine Pondus;
Tres Unũ: PATER, & VERBUM cũ Flamine Sancto,
Tergemino Regnum ſolio. Sol Luce Calorem
Perpetuò profert. Non hic eſt ille, nec alter;
Non aliud, ſed idem; ſed non eſt Filius idem
Ac Pater, aut contra; nec ſpiritus almus uterque.
Eſt Pater in Genito: Proles in Patre; quieſcit
Spiritus in Patre, & Genito; Sanctoque viciſſim
Spiritui Pater, & Proles, æqualiter inſunt. a
Interea Tribus ejusdem communia cultûs
Attribuas, eademque Tribus ſynthemata, cum ſit b
Unica ſimplicitas, duplex proceſſio, Triplex
Suppoſitum, quadruplex Divina Relatio Trini.
Principium Pater eſt Geniti, non Cauſa: referri
Gaudet; at influxu non efficit: Ordo priorem
Indicat, & Natura parem cum Germine monſtrat;
Dum parit Innatus Prolem ſine Matre potentem
Omnipotens, ſoli Generatio competit illi,
Cui Patrium Nomen, Nemo communicat alter.
At Genito naſci proprium eſt virtute Parentis,
Et gigni, & dici Verbum, ſpeciemque notari,
In ſe cuncta Patris, ſpeculi quaſi more ferentem.
Cum Patre Principium ſpirandi Filius Unum eſt,
Et referens in Amore vices Activa duorum
Spiratum ſanctè ſpiratio Pneuma coronat. c
Spirari, Spirare, Pari, Naſcique, relatum
Gignere Conceptum, non auget, Hypoſtaſes ullo
Naturæ titulo; ſolum diſtinguit eaſdem.
Quandoquidem æquales, ſimileſque Eſſentia ſignat;
Notio

a *Per Circuminſeſſionem una Perſona eſt in alia; ut habetur* Io. 14. *quod Græcè dicitur* Perichoreſis.

b *Synthemata. Sententiæ.*

c *Pneuma. Spiritus.*

Digitized by Google

Notio Perſonas cernit; non cogitur eſſe
Proprietas, ſed ſpontè ſuâ dimanat, & almo
Nectaris Oceano ſummam concordia Mentem
Soſpitat una Trium. Quicquam non accidit illic
Vel Quantum, vel Quale dari, vel in extera ferri.
Proh Deus! Hæc omnem ſunt tranſcendentia captum
Quis tua te præter ſolum Myſteria norit?
Quis ſatis enarret? Quæ mox eduxeris, & quæ
De nihilo, valido poſſis educere juſſu,
Cuncta perexiguæ dicant encomia ſummæ.
Sic erat ante Dies, & ſæcula prima, priuſquam
Conderet Omnipotens Mentes, & Tempus, & Orbes.

Argumenta Septem Dierum.

PRima Dies Mundi Cœlum, Terramque creari
Protinus obtinuit, lucemque niteſcere Mundo.
Altera firmato Cœlo diviſit aquarum
Congeriem; Congeſſit aquas Mare Tertia; ſiccam
Detexit; viridi contexit germine glebas.
Quarta dedit Solem, Lunam, Stellaſque vagari
Motibus in menſes, annos, & tempora circum.
Reptile Quinta tulit, cunctumque Volatile lymphis,
Unde Fretum Piſces, Volucres unde äera motant.
Sexta Feras ab Humo, pecudes, Hominemque recudit.
Septima complevit requie, quod durat in ævum.
Si quis ad Octavam pervenerit, eſto Beatus.

Digitized by Google

OPUS PRIMÆ DIEI.

Textus.

1 *In principio creavit Deus Cœlum, & Ter-*
ram. 2 *Terra autem erat inanis, & vacua,*
& tenebræ erant ſuper faciem Abyſſi; &
Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. 3 *Di-*
xitque Deus: fiat lux. & facta eſt lux.
4 *Et vidit Deus lucem quod eſſet bona, &*
diviſit lucem à tenebris. 5 *Appellavitque*
lucem Diem, & tenebras Noctem. Factum-
que eſt veſpere, & mane Dies unus.
Geneſ. cap. 1.

Informis Mundi Creatio.

ANte Mare, & Terras, & quod tegit omnia Cœlum
Nullus erat toto Naturæ Vultus in Orbe,
Nullus in Orbe Orbis, nullum quoque Tempus, & Ævum,
Quod Deus æternum ſupponeret, unde crearet
Omnia; cumque ſui Naturæ Viribus ortûs

De Nihilo nihil eſſe queant, niſi cuncta Potentis
Numine (nam res à nihilo ſine fine recedunt)
Immenſum ſine Re ſpatium præviſa manebat
Intervalla; locus Moles; & Abyſſus Abyſſum.
Tum Pater. En nobis prodeſt æterna voluptas;
Quam niſi conflatis conſortem Mentibus extra
Nos faciat mea Vis, Fili, rerumque Poteſtas,
Quà ſapiens Verbum? Quà Spiritus alme, ferantur
Immenſæ Bonitatis Opes? aliiſque videndum
Lumen? Amor noſtri, prolata ſorte fruatur?
Proſpicimus plures proprio ſuccumbere caſu,
Et Charitos Donis, & Libertatis abuti;
Sed ſua ſi reprobos mortis delicta fatigant
Juſta luant pœnæ. Meritis quos gratia culpat,
Et Peccatores reperit Cenſorius Index,
Juſtitiâ plectit, reliquos prædeſtinat. Et quos
Attraxi miſerans, nobiſcum ſtare velimus.
His igitur Mundum fieri, protendere latè,
„ Terraſque tractuſque Maris, Cœlumque profundum
Fas erit; & ſimiles nobis ſine Corpore Mentes
Condere. Quas miſero trudet ſub Tartara lapſu
Judicii tumor, inſtaurent humana Virorum
Germina. Te primum fragili decernimus ortu
Carnis, Imago mei, Proles dilecta, ſuperbis
Motibus opponi; Repares Deitatis honores,
Aligerum ſtygios raptus, hominumque ruinas.
Eſt ſatius Mala permitti, quam nulla remotis
Eſſe Malis Bona; ſervandos ampliſſima legit
Hos Pietas, diſtricta illos Vindicta reliquit.
Nec mora Principiis. Ævum Natura diremit,
Et Tempus. Nunc eſt rebus vitale creandis
Arbitrium: Fiant, inquit; Verboque refuſum
Pignus Amoris ait, Fiant; Et protinus ipſo
Vox Domini tonat imperio, per inania fertur
Regna Tenebrarum. Nihilum molimine tanto

Fundi-

Digitized by Google

Funditùs excuſſum trepidat, vultuque fatiſcit,
Arcano, poſtquam portendit Brachia longo
Margine per gyrum: Cœlum, Terramque creari
Sentit, & Artificem veneratur ubique propinquum.

Deum eſſe Ubique.

Eſt Deus immotus Motor, rerum intimus Hoſpes
Qui creat, & ſervat; ſervaſſe, creaſſe, creandum,
Servandum: Variis eſt hic ſucceſſibus idem.
Qui latet ut pateat, qui continet omnia primò
Impermixtus Agens, ſine quo ruit omne, quod extat.
Qui ſimul eſt, unâque Potens, Præſensque tuetur
Omnia, concurſu qui prævius omnia luſtrat,
Et penetrat; ſe namque ſuo non deprimit actu,
Cum rerum ſit Cauſa Prior, neque præterit ipſum
Aut modus, aut rerum numerus, naturaque fortem.
Quandoquidem latè Cauſas dominatur in omnes
Numen inacceſſum, minimis inſiſtere compos,
Non ſecus ac magnis: aliquam nec Agentibus infert
Vim, niſi vult; aut hoc etiam non eſſe neceſſe,
Abſque Deo non eſt, aut eſſe neceſſe ſequatur
Hoc, uti vult: æque Mundi Promotor, & Author.
Hoc Chaos antiquum, nondum digeſta Diebus
Hebdomadæ ſenis ſimplex natura creati
Corporis exhibuit; nondum lux, miſtaque nondum
Congeriem diſtincta ornant; nec motio pugnam
Principiis indixit; adhuc Elementa quieſcunt,
Quæ Tria principio diſtincta videntur in ipſo
Nominibus Cœli, Terræ latitantis, Aquarum.

Ethni-

Digitized by Google

Ethnicorum Errores circa Mundi Principia. a

FAlſa ferunt Veteres, etiam virtute ſupernâ
„ De nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti:
Unde coæternam ſummo Plato dixit Agenti
Materiam, rerum ſimul exemplaria ponens
Incorrupta, quibus Deus intendiſſe feratur
Ut Faber, arte movens cuſi ſpectacula Mundi.
Cum verò Mundumque Deo, Motumque coævum
Dicat Ariſtoteles, tribuatque ſubinde moventi
Materiam, ſpeciemque, novos ut proferat Ortus
In ſublunari rerum vice, turpiùs errat,
Emanare putans Mundum à Deitate neceſſum;
Non ex arbitrii primâ Bonitate creatum
De nihilo: Plena non libertate Creantis
Omnia conſtitui. Quid mox Deus ipſe vocetur
Omnipotens, ubi mundanam molem eſſe neceſſe eſt?
Quid melius, ſi plura dabunt ſimul? optima rerum
Quæ fuerit, Deus, an Mundus? Deus, inquit; at unum
Non erit hoc ſummum, qui non Deus eſt ſine Mundo.
Quod ſi compoſitum faciant, formamve perennem
Naturæ, immenſum cohibent, vel dicere tentant
Innumeros Mundos, & materialia nullis
Finibus attingi. Quid mox mirabere, ſi qui
Particulas Mundi, tamquam Deitatis adorent?
His ita principiis Democritus acriùs obſtans,
Ne quid oporteret Divûm confundere mentes
Viſibili ſpecie, caſum detruſit Abyſſo
Conflantem innumeros Athomis volitantibus Orbes.
Quid caſu ratio? quid iniquiùs afferat amens

 Inge-

a S. Ambroſ. lib. 1. Exaem. cap. 1. & alii.

Digitized by Google

Ingenium, ſine mente regi, ſine mente moveri?
Et cæcam ſortem æternis contendere Fatis?
Non opus eſt caſu, non eſt opus eſſe neceſſe,
Quod valet arbitrio ſummæ conſiſtere mentis,
Omne quod hoc fieri potuit; ſeu Mundus ab ævo,
Seu ſit materies, vim non habet omnipotentem,
Quin penitùs non poſſit ab Omnipotente creari.
Ergo quid opperior? vult hoc Deus eſſe; ſit ipſum
Protinus ex nihilo, ſed non nihil eſſe jubetur
Hoc aliquid: non vult ipſum? redit ilicet ipſum
In nihilum. Superat res omnes prima Voluntas,
Quæ creat in primis partes, Elementaque Mundi.

Quæ creavit in Principio Deus, ſunt omnium Rerum Principia, & Elementa.

NE tamen incaſſum credas narrata Fideli
Dogmate; Principium rerum ſcrutare per omnes
Cauſarum ſpecies; nam qui ſimul omnia fecit [a]
Principium Deus efficiens, Finiſque ſupremus
Omnia ſe propter, ſimul ac operatus, & in ſe
Principio comprehendit Opus ſine motibus extra
Seſe diſtinctum, quod ſe ſine, non valet eſſe.
Sed quoque Cauſarum ſeries, metaſque creavit
Ipſis cum rebus, Motus, Loca, Tempora, quicquid
Congrueret rebus; ſeniſque diebus in ipſas
Res ſucceſſivum ſtatuit decurrere motum,
Donec perficeret ſpecies, in ſæcula nunquam
His defecturus quæ condidit, uſque beato
Fine fruatur Homo, propter quem Mundus hic extat.
Pro-

[a] Eccl. 18. *Qui vivit in æternum creavit, omnia ſimul.*

Digitized by Google

Propterea dum Mentis opus meditamur adortum,
Indefinitis procedere principiis non
Poſſumus; at quædam fieri Natura negabit,
Quæ jam de nihilo fecit Deus, Æthera, Cælum,
Sydera, Lucis opes, Sudum levis aëris, undam,
Terrarum tractus, firma intervalla locorum,
Quæ niſi Principio condat Deus, irrita tentet
Ex aliis primò Mundus procedere Cauſis.
Ex his mutari quædam Natura laborat,
Seminibus primo ceſſis, ut gramina, ſtirpes
Ligna, & ab his fruges, fructus, nova ſemina, ſuccos,
Dura metalla, petras, glebas, & cætera Terræ,
Brutorum ſpecies, hominumque, ſed unica ſemper
Ex nihilo in membris Anima immortalis habetur.
Quædam imperfectè ſine ſemine miſtio mutat,
Et corruptelâ quædam reſoluta fatiſcunt.
Propterea niſi cum cauſis Natura ſecundis
Virtutem a Primo deſumat Agente movendi;
Ac variis inſtructa modis, rebuſque potentèr
Materia, & Forma ſignatis, quando moveret
Efficiens? quâ Materiâ, quâ prodere Formâ
Diverſum poſſet Cauſæ valor ille creatæ?

De Materia informi, & Forma Subſtantiali.

NAm quædam mutabilitas intrinſeca moli, [a]
Quam Deus indixit Mundo, quam prorsùs, & omni
Concipias Formâ rerum reſtare carentem,
Materies informis id eſt; non ſpiritus illa eſt,
Non corpus, non omne quod eſt ſpeciale notatu,
Non tamen omninò nihil eſt; ſi dicere poſſim,

B 2 Eſt

[a] S. Aug. lib. 12. Conf. cap. 3. & 6. & *alibi.*

Digitized by Google

Eſt aliquid nihil, & non eſt; hoc & propè nil eſt,
Quo nihil inferius, tamen eſt informe creatum,
Formarique capax, ſubiens in origine primùm
Corpora; nam mutabilium ſubſtantia rerum,
Quæ quicquid fuerat, mox deſinit eſſe viciſſim;
Et ſimul hoc ipſum, quod non erat, incipit eſſe,
Suſpicione premit mentes, ne tranſitus iſte
Per nihil omninò fiat; ſed noſſe fatigas
Cum mutabilitas, atque intellectio ſemper
Juncta ſuis Formis naturæ jura repoſcat.
Nimirum Tenebræ faciem ſcrutantur Abyſſi,
Dum vacuum mens noſtra movet Telluris inanis.
Dum tria facta legit, diſtinctaque nomine certo
Formarum, veluti Cæli, Telluris, Aquarum.
Sed cum Materiam Divina Creatio Primam,
Perfectum intendens, nunquam collimet oriri,
Nec ſine Formarum nexu ſuccedere Corpus,
Nec ſine Materiâ Formas exiſtere primâ
Corporeas; pleno ſignatum terminat ortu,
Quod mutabilitèr voluit Deus ipſe dierum
Decurſu fieri, quamvis potuiſſet ad inſtans
Omnia perficere. Hinc Cæli perfectio lucem,
Spirituum mentes, Firmamentumque moratur,
Diviſas, & Aquas ab Aquis Cæleſtibus imas,
Et Solem, & Lunam, & Stellas, & Tempora motu,
Quò paritèr mutatur humus, fit & arida lectis
Æquoribus; Piſces & Aves promuntur ab Undis,
A Terrâ Vegetabilium variabile germen,
Et Genera, & Species, alio pollentia ſenſu,
Donec ad humanæ ſobolis primordia ducat.
Quæ dedit ut certo mutari tempore Numen,
Quam fieri ſubitò malit, docuiſſe videtur,
Quas Natura vices poſſit præſtare; quid inſit
Corporibus; quamvis etenim præcedere Formas
Tempore non poſſit, quæ de ſe portio non eſt,

Et

Digitized by Google

Et radix informis id eſt; tamen ordine formis
Eſt prior, ut vocis ſonus eſt ſimul & ſonus, & vox;
Et tamen ipsâ voce ſonus prior eſſe probatur.
Hæc ratio ſupra Phyſicum dictamen habetur,
Ut neque materies ſine formâ poſſit haberi,
Nec ſine Materiâ Formæ manatio; ſi ſit
Corporis, ac ideo ſimul utraque ſemper habetur.
Hinc informis hyle formis cælata ſub ipſis
Non intelligitur, non eſt, non extitit unquam
Informis, quia Forma ſuum jus eſt, ſuus actus,
Quo ſi privetur, totum deperditur, alter
Ni ſibi ſuccedat, totum mutabitur ipsâ
Mutatâ, quoties alius ſucceſſerit actus.

Non ſufficere pro rebus omnibus Materiam unam, unitate ſpecificâ; ſed requiri plura Elementa, ſeu Principia materialia formata.

HÆc autem virtute Dei præmiſſa videmus,
Ut de materie ſignata cuncta reformet,
Perficiatque volens genituræ more, creata.
Propterea Mundi Partes, Elementaque promit,
Cælum, Tellurem, Latices; exinde quid Ignem
Luce nitere jubet; cæleſtia firmat aquarum
Diſſidio? cogit Latices, Terramque virenti
Germine detectam comit, Brutiſque refercit?
Scilicet ut doceat, quamquam diuinitùs illud
Mutari poſſit; per ſe mutabile Corpus
Unâ Materie fieri non poſſe; ſed ultra
Principiis aliis opus eſt ſuccurrere Mundo.
Propterea quisnam variis accomodet unum
Principium rebus? ponas Elementa viciſſim

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

Cum fluidis Undis Ignem, cumque Aëre Terram,
Unde capis ſubigi longè diſtantibus unam
Materiam? primamque voces, ex quâ omnia fiant,
Cum jam ſimplicia, & diverſa fecerit Author
Omnipotens? quidnam reperis commune ſub ipſis
Simplicibus, niſi conceptum, quo dicimus eſſe
Corpora? nempe quia ex non tali tale ſequatur?
Hoc aliquid Divina facit tranſire Poteſtas,
Quæ de ſimplicitèr non tali tale creavit,
Et de non tali totum convertere poſſit.
Sed Natura ſuos ſemper determinat ortus,
Ex aliquo tali, ſimili, quod proxima Formâ
Contineat monumenta rei; ſic ſemine Plantæ
Planta venit, Bruti certo quoque ſemine Brutum;
Quæque velis fieri, non quælibet apta putabis,
Sed propiora leges: Cibus ipſe nec utilis omnis
Omnibus eſt idem. Repetas ab origine Mundum.
  Ignis, Aqua, & Tellus, Aër, & mobilis Æther
Hæc ſunt quæ primo fuerint cum condita juſſu,
Vel fuerint mox omninò converſa Jubentis
Conſilio, varios eadem mutantur in ortus,
Mixturæ nexu; reſolutaque rursùs id ipſum
In Genus, oſtentant primas exordia formas.
Materies inviſa quidem: ſed quanta ſilentem *a*
Obducit tenui totum caligine Mundum?
Corpus ea eſt ſimplex, longum, latum, atque profundũ
Et ſimilem referens amplâ compagine vultum.
Illa ſed informis, medium nihil inter & extra,
Æternam quod hylen dicunt, & in omnibus unam
Quî fit, ut exiſtat? ſpuriâ Plato mente ſalutat. *b*
Nec quid, nec quantum, nec quale, nec inde relatum,
Ut commune Genus, quis vix intelligat eſſe?

Quippe

---

a *Creavit Orbem Terrarum ex Materia inviſa*. Sap. 11. 18.
b Beſſarion. in Calum. Plat. lib. 1.

Digitized by Google

Quippe Creatoris nutu formata, diremptis
Corpora prima notes formis Cælum, Mare, Terram:
Quid ſpeciem primò variet, ſi poſſit ab unâ
Materie, Natura ſuos progignere fœtus?
Ridiculum reputes, uno ſi plurima poſſint
Corpora Principio gigni, quamplura creari:
Nam Deus, & Natura nihil perinutile formant;
Nec deſunt operi intento, nec inania cadunt.
Non idem ubique unũ;ſed plura ElementaCreantis
Arbitrio, ſic juſſa globo contermina cogi,
Sic fieri; ſecus hæc miſceri quomodo poſſint,
Vel ſi miſta forent, poſſint Elementa vocari?
Grammatici Latio referunt Elementa legendi
Viginti tria; nominibus ſunt plura repertis
Quæ ſunt in Mundo; quid ab uno ſint Elemento?
Num quia conceptum mentis communicat unum
Littera multiplicem diſcriminat una loquelam?

Quatuor vulgata Elementa non ſunt totius Mundi Elementa, & Corpora in Terris reperta, ut Metalla, & Lapides, ſunt horum additamenta, ut vocat Cabeus lib. 1. Meteor. text. 4. quæſt. 3.

Plura inquam;quoniam Mundus non eſt Elementum,
Nec ſolis conſtans Elementis; namque creavit
Hunc Deus in varias formas; ita Sydera, Terram
Atque Planetas; an glebæ ſunt ſaxa? bitumen
Eſt Sal? & varijs eadem ſunt nitra metallis?
Nam ſicut Mundus diverſis rebus in unum
Miſtus opus variat partes formalirer omnes,
Simplice nec Forma conſtat; ſic omnia Formis

Digitized by Google

Miſta minutatim compactis edita credas;
Sed tamen attendas uni communia Formæ.
Quod ſi tam variis Formis hæc condita noris,
Materiam primam informem quid quæris in ipſis?
Cogitet Ingenium, ſenſus ne quærat Abyſſum
Deficientis hyles, qua ſit mutabile corpus.
Ne quæras autem quot ſint Elementa priuſquam,
Quid ſint decernas: ſimplex eſt Corpus & illud
Ex Elemento alio non fit? Non ergo duobus
Materies communis ineſt; nam quicquid in uno eſt,
Non eſt in reliquis; nec quatuor illa creato
Sufficiunt Mundo; nec non ſi quatuor imo
Facta loco reperis, Ignem, Aëra, Flumina, Terram,
Et dubitas an Gemma nitens, an forte Metallum
Sal, ſimileſque ſuum per Corpus habentia partes
Sint de ſimplicium numero (ſi condita primùm
Credideris potius, quam ſemine nata creato) *a*
Quid referas, vaſtum, ſi ceſſis Æthera pennis
Singula Cælorum viſurus Climata pergas?
Pura neque ex aliis fiunt, quia facta fuerunt
Ex nihilo diverſa, Deo mandante, velut ſunt
Primitùs; & faciem mutant, ſi miſtio partes
Ingerat, aut ſi ſeminibus ſint pabula certis.
Sint Elementa ſuis conformia partibus, æquas
Et ſimiles, & homæomeras ſervantia lances, *b*
Quomodò ſic Tellus Elementum dicitur unum,
Quæ tam diverſis compacta eſt partibus in ſe?
Stellarum quoque compages non eſſe videtur
A ſimili formâ: Lunam ſpeculare nitentem.
Lucis inæquali vultu; ſi quodlibet Aſtrum,

Corpus

a *Nàm Chymici Salem, & Sulphur, & Mercurium pro Elementis habent.*

b *Homæomera, quæ conſtant partibus ſimiliaribus, ut Aqua, Aer, Ignis.*

Digitized by Google

Corpus habet diſpar, Elementa quot eſſe probantur?
Si Corpus ſimplex Elementum dicere mavis,
Non Elementa putes firmiſſima corpora quædam;
Ut Firmamentum ſunt, Sydera, Terra, Planetæ.
Aut ſunt plura ſimul cum non ſint Corpus in unum
Conſimiles partes, ut habent Aqua, & Ignis, & Aër.

Prædictorum Concluſio.

His igitur dictis pateant exordia rerum,
Quæ ſunt in mundo: Series eſt Mundus earum,
Nexa Creatoris Verbo, diſtincta volentis
Arbitrii ratione; ſuas imitantia leges
Cuncta Deus primùm quæ condidit ipſa ſub omni
Multiplici formata gradu ſunt, ordine certo
Principia. Ex ipſis fuerint extrinſeca quædam
Finis & efficiens: fuerint intrinſeca quædam
Ut cuiuſque rei proprium Natura per omnes
Effectus demonſtrat Opus: diſcriminat actus
Eſſe potens, & Forma quid eſt determinat ipſam
Materiem: ſed enim cum ſint hæc ſumma ſcientis
Ingenii Decreta, vides à Numine formas
Diſtinctas cuicumque rei: Paſſiva Poteſtas,
Quæ nihil eſt actu, quo plus exceperit actum,
Ut magis Activum fiat, minus illa tenebit
Materiæ; nihil omninò, ſi mentibus inſit:
Nam Corpus præ mente, per hoc differre neceſſe eſt
Quod diviſibili partes in Corpore quantæ
Materiam dirimant. Totum hoc totaliter eſt Mens,
Parte carens omni, ſubſtantia vivida Verbo;
Nec totum eſſe tenet ſi ſit finita, quod eſt hoc
Ex alio pendens, quod limitat eſſe creatum.
Hinc etiam plus de formæ ratione, minuſque
Materiæ ſortitur Agens excelſius inter

Cor.

Digitized by Google

Corpora; Cælorum Sphæras intellige, Stellas
Indefectibiles, agiles, motuque perennes,
Materiâ tenui, formâ potiore coactas.
Hinc Æther, aut Ignis habet magis Aëre vires
Activas, & Aquâ magis Aër, imaque Tellus
Præ reliquis paſſiva magis, plus ponderis effert,
Materiæque gravis, de ſe minus apta moveri.
Poſt hæc & miſtis eſt omnibus indita primùm
Perfectis, Imperfectis Diſtinctio, paſſim
In ſpecies manſura ſuas, numeriſque viciſſim
Succeſſura ſuis, donec prævisus in Ævum
Finis ab immoto Mundi Motore feratur.
Quæ niſi diſtinctè faciat Deus omnia primùm,
Incaſſum totidem quæras exordia rerum.

Non dari Athomos Democriticas.

AT neque (quod minimas parvis Elementa figuris
Cædua Particulas tenuent) per inane volantes
Inducas Athomos. Tellus, Aqua, limpidus Aër,
Hiſque pares moles ſunt Corpora conſita nullis
Rupta foraminibus, jugi conflata tenore;
Non vacuo ſparſim ſunt interpuncta minuto.
Namque reale aliquod ſpatium non poſſe repleri,
Juſſa Creatoris renuens, interque capedo
Eſſet in Orbe magis, quam res extare, neceſſe.
Prætereà ſi pondus habent, faciemque perennem,
Et motu conjuncta novas Corpuſcula formas
Induerint; totidem nexus, totidemque gradatìm
Accubitus, qua ſorte petunt, quâ lite recuſant,
Unde ſitu variant, ſit ut ille tenacior illo
Surculus; ille color, ſapor ille, valentior illo,
Plus, minus? aut ergo ſpecie differre ſuâptè
Dixeris, & ſimiles Athomos concreſcere in unum,
Quod

Digitized by Google

Quod retuli Naturæ Elementum, partibus ipſis
Continuum, minimè cæſum; quia ſcilicet unum
Per ſe ſubſiſtens. Aut non differre: quid ergo
Sunt Aër, Aqua, Terra ſimul? Quid talia primis
Principiis? Athomos Terræ cur denſus opacat
Nexus, aquæ ligulas, in mollia Vimina ſtringit,
Aëra millenis linquit flaveſcere rimis?
Hæc Athomus Terræ ſit, & Aëris altera; diſtent
Naturâ? Quantâ diſtent in mole? Figurâ?
Pondere? Sed quantum? ne tanta remotio partes
Aëris, & Terræ poſſit mutare viciſſim.
Diverſum perhibes? Eſto. Da priſmata, Terræ
Molecolis, rotulas da partibus Aëris: Ergo
Terra nihil ſpatii de ſe diſcriminat, Aër
Inde minus triplo; per quod ſi pyramis Igne
Prænitido tranſit, non eſt cur poſſit haberi
Aër à Terrâ longè diverſus, & alter.

Quod ſi ſimplicium pendas quamplurima rerum
Corpora, diſſidium majus novitate figuræ
Comperies. Age quid factum? Quid Mente creatum
Divina, facies veluti quodcumque gregatim
Si ſit arenarum cumulus? Quæ ſciſſio ſummum
Quominus Artificem ſequitur, minus eſſe putetur
Credibilis; quod & has Athomos intenderit Author.

Accipe, ſis, Athomum conceptu mentis aquoſam,
Quam dicas impartibilem, ſi nullus Agentis
Actus habet vires mutandi protinus illam;
Immutabilitas ſummis æterna coæquat
Spiritibus, conſiſte parum, quia ſolus in Actus
Eſt Deus Æternos, eſt immutabilis actu;
Spiritus eſt actu mutabilis, unde creatus.
Si minor eſt Athomus, quam mens ab agente creata,
Corpus erit propriæ nexu mutabile Formæ.

Quin potius Corpus ſimplex, ſi feceris unum
Continuum, minimè cæſum, ſtant ſingula primas
Inte-

Digitized by Google

Integra nacta vices Elementa replentia Mundum.
Cur opus alveolis? Tellus è pumice conſtet,
Suber Aquas ſimulet, ſit in Aëre ſpongia quædam?
Et quaquaversùm porulis, rimiſque fatiſcant
Vermiculata ſimul teſſellis corpora? juſſit
Conditor hìc Undas, Cælum, Terramque creari,
Hæc ubi ſunt, & ubique ſuis in partibus eſſe
Talia facta reor; quicquam nec abeſſe fatebor.

De Continuo.

Continuum per ſe tale eſt; nec inane minutum
Admittit, cæſoſve ſuis in partibus artus,
Vel ſolâ ſtatione ſitos; ſed viribus extra
Dividuum, certiſque manet, reſolubile punctis,
Pulveris in morem. Non infinita poteſtas
Molis ineſt apici, minui qui ſemper & ultra
Poſſit, habet minimum quod ſic, natura, minorem
Deridens actu partem; nam limite virtus
Finit; agens partes minuit, ramentaque juxta
Vim terit; & refici truncum genitura laborat.
Quod licet innumeris Minimum proſcindere quantũ
Particulis inhies cerebro: mutare Creator
Naturam quanti valeat: ſed quantula pars eſt
Secta ſuo toto, Metron ſortitur ab actu:
Tanta manet, refici patiens, non inde ſecari,
Quanta figuratè facta eſt virtute ſecantis:
Quantaque diſſecto paſſa eſt à corpore tolli.
Principiis innixa ſuis demonſtrat apertè
Docta Mathematice quantum conſtare jugatum
Partibus innumeris, quarum ſit copula punctum.
Scilicet abſtractam mentem cum purget ab omni
Materiâ, Phiſicè punctum, vel linea non eſt,
Sive ſuperficies, aliquo ſine corpore; ſed ſunt

Ter-

Digitized by Google

Terminus excludens partes, neque Conditor ullum
Quid ſimile effectum ſine re determinet Orbi.
Eſto igitur planum perfectus Circulus aptum
Tangere dumtaxat puncto ſine parte notetur
Ut docet Euclides. Ubi planum Circulus iſte [a]
Tale gravat? tenuet ſine fine minutia partes,
Atque Theoriâ numeros auferre minores
Cogitet à numeris; Partes à partibus uſque
Judicet. At filo ſubſiſtens linea tantos
Proferet extremis apices, quos tangere certo
Vis finita queat modulo; nec cæſio ſcindit
Res, tactusvè probat ſpeculante Matheſeos actu.

De Raro, & Denſo.

ID quoque mirandum divina licentia quantis
Molibus inſeruit; Denſum, Rarumque ſub æquas
Conſtituit partes fieri penetrabile; turgent
Halitibus variis infra ſua ſæpe receptis
Membra; ſed excluſis iterum denſata reſidunt.
At quandoque ſuâ Rarum, dum ſervat eamdem
Menſuram ſtatione (velut præclara nitentem
Excipiunt Cryſtalla focum) fit denſius. Aurâ
Vas plenum pervadit adhuc explebile Ventus:
Saxa Oleum pervadit adhuc duriſſima lapſu;
Et muros Aër penetrat: Ferroque rebullit
Ignis, ut aggeſtu nimium replicabile denſo
Explicet Æolii Sulphur portenta vaporis.
Netur item tenui Flammæ pinguiſſima flocco
Cera; brevi latuit gremio globus Ætheris ingens.
Ut niſi quod fuerat denſum, rareſcere dicas,
Quod fuerat Rarum, Denſo penetrabile reddi,

Non

[a] Lib. 3. prop. 16. Eucl. Elem.

Digitized by Google

Non Labyrintæo referas veſtigia flexu.
Aëris hoc potius novit natura parergon,
Quo vacuum ratio ſtuduit ſuadere minutum:
Nam dicunt, minus in Raro, quam exiſtere Denſo
Materiam; nec utrique pares concedere partes
Fas erit, ut Vacuo plenum reſpondeat omni;
Sic igitur ſi Rara replent, ſi Denſa ſuperplent
Vaſis idem labrum; luteaque flumine plenum
Reddit in Aërios flammæ vis vivida ſuccos,
Dilatat millena levem per jugera lympham;
Quis Vacuum vicibus millenis amplius eſſe
Aëre crediderit, quam moles ipſa, quod Undam
Excipiat totidem vicibus compreſſiùs actam?
Quis putet hos reditùs Elementorumque rapinas
Cum Deus, & Denſum, & Rarum, & Penetrabile certis
Juſſerit Officiis fieri? ſparſumque negarit,
In rebus Vacuum, complens Loca cuncta? quis aptè
Conſilium Domini capiat? qui tradidit Orbem, a
In grave diſſidium, ne cognoſcatur apertum
Tantæ mentis Opus? non implicat illud, & iſtud;
At libito conforme ſatum ſcruteris oportet.
Quo plus de Forma Corpus manifeſtat in actum,
Plus habet, ut poſſit Formam ſtipare, ſinuque
Materiæ, ſpatioque ſuo cælare retuſam;
Nam cum pugnat agens, Sphæram virtutis agendo
Dilatat; patiens vires conſtringit ab actu,
Contractaſque fovet: quare ſi colligit actus,
Contrahitur, ſpiſſumque venit; Rarumque viciſſim,
Si quoque Materiæ collectos explicat actus.
Hinc penetrabilitas non eſt referenda valori
Subjecti, ſeu materiæ patientis, at ipſis

Actibus

a *Mundum* (*Deus*) *tradidit diſputationi eorum, ut non inveniat homo Opus, quod operatus eſt Deus, ab initio, uſque ad Finem.* Eccleſ. 3. 11.

Digitized by Google

Actibus ejuſdem, quibus & magis, & minus opplet.
Namque actus ceſſare queunt, cœpiſſe remiſsè,
Augeri, minuique Dei virtute valentes,
Atque replere locum, multoque tumeſcere motu.
Quod magis arridet Topicis defendere nervis,
Inſtamus factis, quæ permanſura putamus,
Quæ prima producta manu ſunt talia, fruſtrà
Quærimus illorum cauſas, vel rebus in ipſis,
Vel procul; Artificis mentem perquirere præſtat.
Nam Raris, Denſis, Penetrabilibuſque replevit
Spiritus Omnipotens Orbem, voluitque viciſſim
Plus minus in rugas quædam contracta minorem
Faſtidire locum, majorem fallere quædam.

Primæva Mundi facies.

PRopterea primâ revocans ab origine Mundum;
O qualem videam! tenebris vallatur opacis;
Torpet iners Aſtris Cælum, motuque diurno;
Terra ſepulta Mari nullo ſe germine comit,
Et circumfuſum Terræ mare, Spiritus Undis.
Hæc ita, ſumme Parens rudis, indigeſtaque moles
Quorſum te ſapiat? quid non ſimul exeris omnes
Ornatus rerum, lucem, munimen Aquarum,
Terrai, mariumque ſinus, herbaſque virentes,
Pomiferaſque trabes? quid non ſimul aſtra, nitentem
Et Solem, & Lunam, quæ ſint in ſigna dierum?
Quid motos animare greges, volucreſque canoras,
Brutorumque pecus, ſilvis, campiſque pererrans;
Et Genus humanum Divis æquare moraris?
Tu nihil expectas: Mundi mora paſſa ſupremum
Te manet arbitrium; poteras hunc ocyùs ictu
Perfeciſſe: Dies placet expectare ter ambos,
Ut doceas, certo Natura quid ordine poſcat

Inci-

Digitized by Google

Incipere utcumque, ut cæptis meliora ſequantur.
Non tranſit Verbum Domini, ſed permanet uſque
Dum ſteterit libito res conformata ſuperno;
Inde ſemel loquitur Deus immutabilis, Orbem a
Cum creat, & ſervat, cum perficit, atque gubernat.
Hinc ſemel hoc inquit; fiat lux, ſemper idipſum
Dicit, ut è Tenebris lucem ſplendeſcere mandat,
Et naturales Divina locutio Cauſas
Adjuvat, ut nobis mundum ſcrutantibus, & res,
Profuerit noviſſe, Deus quid dixerit Author.
Quid dicto tulerit, num viderit, anne vocarit,
Numquid diviſum, numquid mandarit adactum,
Quæ per ſe fieri, vel quæ perfecta jubentur
Mutari; Deus eſt idem, ſunt cætera nutu
Cuncta relata ſuo, non transgreſſura loquentem.

De Mundi Loco.

INtereà quia quanta locum, ſpatiumque requirunt,
Et mundus vaſtâ conſiſtens mole locatur
Hic, ubi ſunt omnes partes, non inde recedens;
In nihilo exteriùs nitentem pondere Sphæram
Concipiam Terræ Centro conſtante, remotis
Librari ſpatiis. Utrum convexa rotundum
Perfectè referant, & Terra ſit imus amuſſin
Punctus, in ancipitem pendet ſententia litem:
Nam quavis formâ Corpus prægrande rotatu,
Partim promineat, partim depreſſiùs erret,
Centrali motûs vertigine Sphæra videtur.
Non Opifex noſtris metitur in Orbe Cylindris
Singula. Confodit vaſtam fundamine vallem,
Quæ foret immotum ſpatium, Vacuumque repleri
Mole

a Pſal. 65.

Digitized by Google

Mole capax patiens, quo Corpora cuncta locavit.
Appendit Terram in nihilum; Terræque fluentes
Strinxit aquas, & aquis extendit Nubila ſurſum,
Atque Planetarum ſedes provexit in altum,
Ne ſuper inſtructo quidquam tranſcendat Olympo.
„ Nec verò tibi natura admiranda videri [a]
„ Pendentis Terræ debet, cum pendeat ipſe
„ Mundus, & in nullo ponat veſtigia fundo.
„ Quod patet ex ipſo motu, curſuque volantis,
„ Cum ſuſpenſus eat Phœbus, curſumque reflectat
„ Huc illuc, agiles & ſervet in Æthere metas:
„ Cum Luna, & Stellæ volitent per inania Mundi,
„ Terra quoque Aërias leges imitata pependit.
Hic locus eſt Mundi, & Rerum, quas totus adæquat,
Extima complexus, latè ſimul intima nectens;
Quem fore concipies vacuum, ſi corpore truſo
Non aliud ſuccedat eò; velut Amphora vino
Plena, meri locus eſt; quod cum potaveris, intrò
Non intraſſe putes aliud. Quia Corporis impos
Una ſuperficies, quantis annexa, moveri
Prompta, minor toto, ſpatii Cyclas, ora locati,
Non poterat locus eſſe; triplex menſura locandum
Corpus adæquat idem: ſpatium ſic eſſe creatum
Judico longum, altum, latum, patienſque manenter
Expleri denſis; minus explent rara, quod omni
Parte gerant tenuem flatum: tamen undique plenum
Materiâ exili, aut ſolidâ; penetrarier aptum
Grande Forum Mundi vario Curſore; ſed ipſum
Impenetrabiliter ſua tendet inania, quanto
Suppoſitum Phyſico: reliquum quem mota relinquat
Unda locum, refluens aliis ſucceſſibus Undæ?
Quomodo conſtantes radios hùc dejicit Æther,

C Quos

a M. Manil. Aſtron. lib. 1. c. 2. *contra Lactan. de Falſa Relig.* lib. 3. cap. 24.

Digitized by Google

Quos neque dimoueat Boreas, neque Circius audax?
Ni locus eſt ſpatium, quantis immobile primò
Mobilibus, quare dimenſe Geometra cellas
Frugibus opplendas, ſolidum contendis haberi,
Multiplicemque cubum? fueritque medullitùs aër
In loco, ubi alterius non excipit oſcula molis?
Nimirum diſtincta ſuis à rebus, & omni
Corpore ſtat Cavitas, ubi res firmantur, & unde
Transmigrant; ut eò promptè ſuccedere Molem
Si Deus impediat, locus ipſa vocetur inanis.
Hinc aliquà Vacuum pandi vi protinus, atque
Corpus inextenſas partes cælare Tonantis
Arte, quid hoc dubites? profert Exempla facultas.
Experimenta docent Vacuum violenter haberi;
Sed ſpatium non demonſtrant fore prorſus inane.
Si nihil omninò fuerit, vel luce carebit,

De Angelis.

ET primo maiora Die Deus extulit; almas *a*
Spirituum Mentes; divini ſemina Verbi;
Robora Principiis immaterialia celſæ
Condita virtutis; patuli vigilantia Mundi
Præſidia: indigetas conceſſum viuere gratis;
Inque miniſterium Triadis præcellere gratis;
Militiæ Cæleſtis opes, validaſque Cohortes,
Immortale Genus. Novies cæleſtia comunt
Empyreum, diſtincta Choris examina Ternis,
Protinus, ut Domini juſſu Via libera factis
Panditur hoſpitibus, rectum, pravumne legendi,
Congrua Naturæ conceſſa eſt Gratia, qua ſe

Vel

a *Vide* S. Dionyſium de Cæleſt. Hierarch. & S. Thom. part. 1. q. 106. vſq. ad q. 114.

Vel meritis cumulent, vel in avia crimina flectant.
Intellectus ineſt illis, & plena Voluntas,
His alis volitant; ſe per ſua propria norunt, a
In ſpecie ſibi concretâ res; Inde Beatis b
Notitia in Verbo fuerit. Non mole gravantur, c
Non ſenſu pollent, nulli ſunt pervia viſu,
Mente locum capiunt, & agunt, & mente moventur,
Et ſi forte velint, mediis extrema relictis,
Excurrunt; ſed enim poſſunt ſtatione ſoluti
Ferre moras; placida ſeſe quoque mente ſalutant,
Conceptuſque ferunt, aut ſi quos prodere nolint,
Imo corde premunt. Superùm lectiſſima ſumit
Triplicitas ex fonte jubar, mediiſque reflectit
Agminibus: mediæ refractum lumen in imos
Myriades Cœtus fundunt. Sine tempore vivunt,
Et proprium ducunt ſapidis conceptibus Ævum.
Eſt illis etiam circa ſe vivida virtus,
Effigiem ſimulare nouam, variumque coacto
Aëre maturè nobis oſtendere Corpus;
Quamvis ſint Actus alacres, non ulla ferentes
Fædera menſuræ; ſed ſola Potentia major
Eſſe dedit, poſuitque ſupervenientia menti
Diſſita; Diſtinctumque gerunt à Viribus Actum.
Nam ſua ſimplicitas, non infinita, potentes
Viribus exemit Proceres à Corporis omni
Conditione: tamen cum ſint, & non priùs eſſent,
Contrahit eſſe ſuum, quod id eſt; & limitat actus
Poſſe ſuum: genus, & ſpecies, naturaque vincta

 Suppo-

a *Ideſt per ſua naturalia*. S.Thom.1. q.56. 1.

b *Intellige de cognitione Veſpertina Angeli extra Verbum, & in ſtatu viæ, vel per rationes rerum in Verbo, vel per ſpecies rerum innatas*. S.Thom. par.1. q.58. art.7.

c *Cognitio per Eſſentiam Verbi, quæ dicitur matutina, convenit Agelis beatis*. S.Thom. vt ſup. & q.12. art.4.

Digitized by Google

Suppoſito, menti ſervat ſpectacula rerum.
Quod ſi Materiâ expertes non funera plangunt;
In nihilum redeant, ſubtracto Numinis hauſtu.
Quot numero? quali pulcras diſcrimine Formas
Contemplor? mens ipſa ſuis nitet inclyta pompis,
Et modus, & numerus dotes, & munus honorem
Diſtribuit. Seraphin ardent, ſapiuntque Cherubin
Præ reliquis; Divina Throni Subſellia ſternunt;
Imperium Dominator habet; divinaque Princeps
Regna; plagis Mundi moderatur celſa Poteſtas;
Virtutes occulta regunt Exordia: magnis
Legatur cauſis Archangelus; Angelus autem
Singula mandatis curat, fovet, atque, gubernat.
His Animis adeo præclarâ ſorte refertis
Gratia, quam latè comi Deus ore profudit,
Blanditur, ne jure datis commiſſa morentur
Juſſa miniſteriis, & ſanctum Numen adorent.
Dum facili Motrix contemplativa volatu
Tempus agit primum, tenebras lux aurea mundo a
Expiat: Excelſo plaudunt hinc inde frequentes,
In ſua ſe refovent alii natalia, vires
Extenuant miſſo naturæ vertice; plures
Alma Charis firmat ſynceri pignus amoris:
Hos extra ſeſe rapuit Clementia ſummi
Numinis; optarunt illos præconia laudum.
Quis verò totidem motus, quot mentibus inſunt,
Explicet? utque ſuo ſe quilibet ordine confert;
Ecce quatit præceps Ingentia Caſtra tumultus;
Lucifer ore tumens, Comites in vota rebelles

Exci-

---

a Ex S.Auguſt. lib. 11. de Civit. Dei. cap. 19. *Non mihi videtur ab operibus Dei abſurda ſententia, ſi cum Lux illa prima facta eſt, Angeli creati intelligantur, & inter ſanctos Angelos, & immundos fuiſſe diſcretum, ubi dictum eſt; Et diviſit Deus inter Lucem, & Tenebras.* Geneſ. 1. 4.

Digitized by Google

Excitat, Æterni execrans Myſteria Verbi;
Aërium Decus, & ſummas affectat Olympi
Veſtigare vias. Cœlum conſcendere nobis [a]
Fas, ait, eſt: ſuper aſtra Dei caput effero: ſedem
Nubibus obvoluens, humeris Aquilonis in auras
Imponam Solium. Quis me ſublimior? Ecquis
Ut Deus? è contra clamat vox altera: magno
Fit ſtrepitu concurſus; agit ſua quemque cupido.
Scinditur hinc Vulgus, ſceleri Fallentis adhærens,
Hinc alii trepidant: Alii perplexa Phalangi
Corda gerunt: Illinc Juvenum pars emicat ardens [b]
In Satanan, ſociosque, Ducem Michaela ſecuti.
Conſeritur fera pugna; Duces adverſa tuentur.
Quale fit excidium! replent torpentia paſſim
Aërios tenebris ingentibus agmina campos.
Leviatan Behemotha fovet, cui fuſile membris [c]
Æs latet, & robur lumbis, & ferrea nervis
Lamina; protenſam, quaſi cedrum, ſtringere caudam;
Os aperire furens; dentes formidine fultos
Oſtentare; faces tædis fumantibus atras
Fundere ſcintillas Oculis, & Naribus æſtus;
Halitibus prunas: peſtem ſpirare favillis;
Undique compactum ſquamis ſplendeſcere monſtrum;
Oceanum ſorbere; ſibi ſublimia plaudi;
Et formidatum, non formidare ſuperbit.
At quid agat, cujus faciem præcedit egeſtas?
Terga fugæ vertit. Cœli pars tertia motu
Concutitur, confuſa ruit; fulgentibus armis

 Signi-

---

a Iſai. 14. 13.

b 2. Apoc. 12. 7. & ſeq. *Et factum eſt Prælium magnum in Cœlo: Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius in Cœlo &c.*

c Job. cap. 40. & 41.

Signifer inſequitur, fraudes eludit, & aſtus;
Heroas movet Aligeros; mora nulla catervam
Mortiferam patitur, Cœlis eliminat Hoſtes.
Siſtit Amor Juſtos; Odium detrudit Iniquos.
Continuo Barathrum mediâ Tellure dehiſcit;
Et circumfuſo turgent cava Tartara centro,
Concipiuntque ignem nigra fuligine cautes;
Dumque bituminibus Spelæum immane rebullit,
Et nubes vomit, Æthnæi crepuere camini,
Phlægræique lares (nullo me Fabula cultu
Detinet: utendum eſt ſignis imitantibus atrox
Luciferi exitium, & mortis damnabile Regnum.)
Et flammis Phlegethon, & pinguibus æſtuat Orcus
Fluctibus, & Stygium confundit ſulphure cænum;
Penæusque, omnesque imo de gurgite fontes
Fumũ hauſtant; ſtagnant Acheron, Cocytus, Avernus;
Nec Phlegyas relevant Lethes oblivia potu,
Nec ſuſpiratis ſatiatur Tantalus eſcis;
Anne Meduſæos Angues, Ixionis Orbes,
Eumenidum furias, curas Plutonis inanes,
Belidas, Harpyias, Deoida, Syſiphon, Ocnum,
Tænariasque fores ſimulem? Difformia verè
Monſtra colunt Erebum; nidos ibi ſtruthio, Corvus [a]
Milvus & Ibis habent. Urget Paliurus acutis
Sentibus infames Hydras; dirique Dracones
Occurrunt Onocentauris, Onagriſque Chimæræ;
Quà decus evaſit ſuperum! corrodit Alaſtor
Viſcera. Perpetuis objectat Ericius antris
Oſtia; ſpes abiit; cruciant mala ſingula ſontes,
Et Ditem, & Manes ſtipant, Lemureſque protervos.
Igne moras cæco ſtimulantur inire coævas
Dæmones; Infelix uno Diſcordia caſu
Præcipites dedit, & plures exſolvere pœnas,
Quam

[a] Iſai. 34.

Digitized by Google

Quam dici poſſint, cumulans genus omne dolorum,
Quæ miris, & inauditis cruciatibus angat
Pœna leves Mentes, & jugiter Igne crementur,
Accipe; pro culpis, ut mox averſa Voluntas
A ſummâ Bonitate ruit, diviſa ſupremo
Lumine, concepit tenebras, labemque perennem,
Qua tanquam Tityi ſimulato Vulture, Veri
Conſcia mordetur; memori ſplendoris omiſſi
Viſcera crebeſcunt. Quid tum? quos libera fovit,
Invitâ Statione locus, per longa coercet
Sæcula, prædurus carcer, nexûſque tenaces:
Et locus eſt illis Ignis, cui ſubjicit arctus
Ambitioſa necis nodus ſpiramina Vitæ;
Ingeniis apprehenſa lues, apprehenſus & ignis
In rabiem tabeſcit atrox; hinc horrida cædes,
Fletus, agon, ſtridor, vermis, pavor, & dolor, & mors,
Et mala cuncta: quibus noſtri Phantaſmata ſenſus,
Ne taceant, notas audent componere pœnas.
At contra reduces bello, ſectata fideles
Proſperitas, ardens evexit ad Æthera virtus,
Sedibus excepit ſuperis, arcana recluſit
Ora Dei, Pietas; caſtum Charis afflat amorem,
Aligerûmque ſinum formidine vindicat omni.
Non ibi nox atrâ viſum caligine ſpargit,
Non Lacheſis morbis, aut morte minatur, abundat
Permanſura Boni refluo torrente voluptas.
Hæc ita Religio certis intenta Figuris
Tradidit, vt ratio Dominæ famulata ſequatur:
Nam Deus eſt mens, & Mentes niſi condidit ipſis
Corporibus multo plures, magis excellentes,
Extra ſe nihil aſſimilet; neque nota fuiſſet
Illius Bonitas, illius ſumma Poteſtas.
Et poterat, faciat qui Corpora ſola, videri
Corporeus, verè nullus quem terminus arctat.
Quis verò norit, quis tanta mente fruatur

Digitized by Google

Si nihil eſt extra ſe Mentis? Et inquem finem
Corpora condiderit? Maiora minoribus Ordo
Prætulerit? Summique Boni quis culmina poſcat,
Si nihil arbitrii eſt? porrò Juſtiſſimus ille
Præmia decernat Juſtis, Pœnaſque Profanis,
Ne pro libertate datâ Fortuna triumphet,
Aut impunè furens graſſetur iniqua propago.
Spiritibus verò, condendi nobile mundi
Prima revelat opus mens, & ſimul omnia pandit
In fines diſtincta ſuos ornata, priuſquam
Hoc fierent: quoniam priùs ordine præſtitit eſſe
Per ſe ſubſiſtens, & Corpore Spiritus expers,
Inde miniſteriis mentes aſſiſtere quaſdam *a*
Juſſit, ut in fines, vel contingentia certos
Dirigerent; ſine mente nihil conducit in unum,
Singula mente vigent; & mentibus omnia ſubſunt *b*
Corpora; pervigili quorum conſortia curâ
Connexus, ſpecies, numerus, motuſque foventur;
Nam minor vnivocis virtus eſt indita cauſis,
Quam totum poſſint plenis attingere fibris
Effectum; juvat Æquivocis influxibus Æther,
Et juvat ex alto magis inclyta Cauſa minorem.
Verum quem finem norint ſine mente ſequendum
Corpora? Qua poſſint individuare ſequelâ
Suppoſitum? partes connectere partibus omnes?
Et ſpeciem ſervare ſuam, ne caſibus error
Tranſiliat metas, ne ſint ſine Numine caſus?
Quæ licet ipſe Deus per ſe propiore gubernet
Auſpicio, de ſe poſſit præſtare, quod omnes
Exhibeant mentes, tamen has aſſiſtere ceſſit,
Obſequiiſque pares mandavit adeſſe miniſtros. *c*

E con-

a S.Thom. contra Gent. lib.3. cap.78.

b *In Intellectibus manuū tuarū deduxit eos*. Pſal.77.72.

c *Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus*. Heb.1. 14.

Digitized by Google

E contra quoniam ſtygiis perverſa Voluntas a
Manibus inceſſit, turbare per omnia tentant
Rectores tenebrarum harum, ſubvertere finem,
Nequitiæque duces pugnas renovare priores
Non ceſſant, ideoque probis eſt mentibus illos
Et cohibere Malos, & debellare Superbos
Et ſcopon intentum Domini curare ſubiri.
Quid Caſũ effingas? Mens undique provida luſtrat
Omne genus rerum: Stygiàque Tyrannide preſſos,
Quæ nunquam didicere loqui; Pythone moveri,
Semotas monſtrare vices, occulta tueri,
Dira pati, nulla ferri compage teneri,
Exerere ingentes vires, portenta Magorum
Cernere, Cymmerios Genios manifeſtat, & umbras.
Quæ niſi crediderint, experti talia nunquam
Terrigenis referent. Cautela pericula vitat.

De Motu, & Tempore.

JAm Pater Omnipotens primum commoverat Orbem
Alitis officio, duplici quem Cardine fixum,
Axe Poli tolerant, & Primum mobile dicunt:
Cum Motus rerum, & Tempus ſplendeſcere cœpit,
Quo deſignari ſervata latentia poſſent,
Diſtingui, diſtincta novis coaleſcere Formis.
Arcticus hinc partes effert; Antarcticus illinc
Supprimit; hiſque Polis convolvitur orbita primi
Mobilis; immotis immotus habetur eiſdem
Mundus, quamvis in Mundo quaſi cucta moventur.
Æquatam medii cæli duo ſegmina Sphæram
Diſtinguunt; utroque Polo quæ linea diſtat

Nona-

a *Adverſus Mundi rectores Tenebrarum harum, contra Spiritualia nequitiæ.* Epheſ. 6. 12.

Nonaginta gradus, Æquator dicitur: Iſthæc
Terdenos duodena gradus, per fig''a diremptos
Exhibet. Hinc ratio Tempus deſumit, & illo
Mobilium motum, & requiem metitur, & angit
Inferiora prior motus; liquidumque profundis
Vorticibus dextrâ rapit Æthera parte; fit Ortus,
Inde; fit Occaſus Cæli ſub parte ſiniſtrâ,
Dum facies Auſtrum ſeptem converſa-trioni
Deſpicit; & reliquos metitur latio motus
Prima per hoc inſtans, quod jugiter acta futuris
Nectit, ut arcta ſimul nihil eſſe potentia curet.
At dices contra. Supereſt duratio rerum,
Et ſi deſideat primi conſtantia motûs.
Eſto. Sed advertam Mentis numerante reflexu
Pluſve, minuſve diu ſpatium durare morandi;
Res ita durantes Naturæ ſorte potiri.
Æternum dici quicquid ſimul eſt ſua, nullo
Principio, neque ſucceſſu, mora neſcia metæ.
Quicquid de Nihilo fieri cœpiſſe fatemur,
Eſſe ſimul totum, ſemperque manere futurum,
Jure voluntatis patulum ſucceſſibus; Ævum eſt.
Tempus habet jugem mutandi ſæcula fluxum
Cui ſubjecta refer, vicibus quæcumque ſubeſſe
Noveris; & normam ſumes à Principe Motu.
Ac velut Ampullæ refluo qui pulvere novit
Cunctantes inter ſeſe diſtinguere noctes;
Et vigiles horas menſore, vel indice ſignat:
Sic primi motûs metitur linea Mentis
Nutibus. In motu partes adverte futuras,
Præteritaſque; ſimul nihil eſt: præſentia nectit
Ipſum NUNC, Inſtans, partes à parte fugatas.
Non regredi paſſum, fugit irremeabile Tempus,
Aſſiduo motore citum. Natura quietis
Et motûs primæva Parens ſua Corpora ſervat
Mota quieſcendo, ſimul inde quieta movendo

Per

Digitized by Google

Per leges Authore datas. Locus indicat à quo
Diſcedant; ad quem perducat latio finem.
Namque receptivo per inania concava ſignat
Mens attenta loco partes immobilitatis,
Fortiter extenſas, per quas obſtacula certè
Nulla reluctantur, cum mobile Corpus oberrat.
Corpus ita impulſum, partes cum ſervet eaſdem
Integritate ſui ſolidas, aptaſque moveri,
Fertur Agentis Agens, motu pertranſit, & actu.
Nec valet inſtanti motus clareſcere, binis
Limitibus Quantum poſcens tranſire locatum;
Omnia maturat naturæ fœdere Tempus.
Terminus eſt Inſtans motu quocumque repertus;
Eſt igitur Natura, Dei lex indita rebus.
Eſt igitur Motus ſucceſſio molis, & actus
A ſpatio in ſpatium, Phyſico de Corpore manans
Paſſio Naturæ; niſi vis extrinſeca pellat;
Tunc etenim violenter agi contingit in Artem,
Aut nexu ſolvi, quoties Natura reſiſtat.
Eſt igitur Tempus numerus mentaliter omnes
Enumerans Motûs, à primo Regula motu
Sumpta, vices rerum referens, extrinſecus Index.

De Luce, & Igne.

INterea patulas Lux circumfuſa per auras
Irradiat tremulos nullo Ductore colores;
Et traſparentes, & opacos lumine monſtrat
Naturæ vultus. Defæcatiſſimus Ignis. [a]

Lux

[a] *Empedoc. Lucem, effluxionem Ignis eſſe docuit. Plato Flammulam effluentem: non ſecus Leucippus, Democ. Epicur. declarant, ut ex Proclo in Com. Timæi. Anaximander Solem Ferrũ candens putavit. Poſſidonius puriſſimum Ignem*, apud Laert. lib. 7.

Lux fuerit, vel in Igne nitor, color inſitus Igni,
Ut propriè dicam, nam Lux ut quale quid, eſt in'
Mole ſibi propriâ, ſicut calor, & color, & non
Certâ ſede carens, quovis erratica ſaltat.
Lux Ignis. Rutilat, flagrat, flammeſcit, hebeſcit,
Flectitur, areſacit, refovet, liquat: Ergo quid Ignem
Diſſimulet? quò me Calais ſubvectet in Æthram,
Ut quas non video, Lunæ ſub vortice flammas
Eripiam? Pallas dilatat furta Promethei.
Lux Ignis. Per ſe vel prima creatio ſtantem
Innuit; ex aliâ non apparere creatum
Hiſtoriâ; & poſthac in Sole repoſcere centrum.
Id quoque quod mirum ſpeculantibus eſſe videtur,
Lux citò pervadat ſpatium; mediumque terebret,
Et collecta vitris, penetret ſe partibus, Ignem
Suſcitet occultum, variiſque coloribus Irin
Pingat, & oppoſitis præclara ſimillima fundis
Tincta repræſentet; Ventis immota reſiſtat;
Perſpicuis, liquidiſque morâ procul abſit, & adſit,
Ingentique rotâ ſcintillet in aëra, quando
Libera combuſto ſurſum ſe carcere jactet.
Nec dixiſſe juvat, quod non contraria noſcat
Simplicitate ſuâ, ſic inſtantanea vaſtis
Hæreat in rebus; quid enim ſic accidit illis
Mobilibus, Lucem ſpatio vix poſſe moveri,
Ni moveatur Agens lucis delator? an hæret
Abſque ſuo nexu? proprio ſine corpore? nulli
Contigit hoc formæ. Spatium tranabile, plenum
Corpore, obex reſilit, molemque retardat euntem.
Corporeâ Lux ergo locum non mole per inſtans
Occupat; extremis medium per vaſta cohæret
Jugera, ne poſſit Lucis fons eminùs æquè
Fundere ſe, quali ſeſe diſſeminat æſtu
Cominùs; in Sphæram præceps diſpergitur amplam
Sole

Sole fluens, redituque petit primordia læto. a
Sed latebras reſeram tantis ambagibus omnes,
Si facilem placeat dictis intendere mentem.
Fuſus ubique latet magis, & minus Ignis, & ipſis
,, Abſtruſa in venis ſilicis ſunt ſemina flammæ:
Quod caret Igne, nihil prorſus tepet; at quod amicâ
Luce caret, ſervare poteſt occultiùs ignem.
Non ſic viſibilis, non ſic incendia leni
Peniculo ſparſus moveat, torpentia lento
Vivificat ductu; tepidè ſpiſſatur alendo
Corpora miſta diu; contexturæque tenaci
Compede ſtipatus, veluti ſi denſa ſepultum
Detineat cinis, arcanâ virtute laborat.
Confeſtim aërias ſi jam revocetur in oras
Exteriore manu; ſubito ſtructura teratur
Impete motoris, calet, efferveſcit, adurit,
Proſilit, erumpit, reſidi caligine bullit,
Effluviumque jacit, conſtans & flamma refulget.
Sol igitur Lucis fornax, & cætera circum
Sydera lumen agunt æquè ſuper aëre tenſum,
Vorticibusque movent ignem, tactuque profundo
Viſibilem reddunt, hilarem tangentia reddunt;
Et ſi quam ſparſim lateant luſtrantia Veſtam,

Per-

---

a *Carteſius par.3. Princip. Phyſ. Galilæus in Nuncio Sydero; Gaſſendus. Phyſ. lib.4. ſec.1. cap.11., & ſec.2. lib.4. cap.1. & ſeq. de Luce Syderum: Lucret. lib.5. & alib. paſſim. Milliet. tom.4. Aſtr. lib. 2. de Sole, & ex authoritate plusquam triginta Sanctorum Patrum, ut ibi refert ex Patre Scheinero in Roſa Vrſina apud Kirkerium, & Ricciolum. Eccleſ. cap.43. num.3., & 4. Sol in aſpectu annuncians in exitu, Vas admirabile Opus Excelſi in meridiano exurit terram, & in conſpectu ardoris ejus quis poterit ſubſtinere? Fornacem cuſtodiens in operibus ardoris, tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exufflans, & refulgens radiis ſuis obcæcat Oculos.*

Digitized by Google

Perſpicuam radii tactu repetentia reddunt.
Lux autem motore ſui privata ſub umbris
Languet, ut à denſis reſilit confuſus opacis
Splendor; in oppoſitos ubi non ingreſſa receſſus,
Inducit tenebras, dubioque crepuſcula niſu
Parturit, & noctem diſceſſu plena miniſtrat.
Nam cum ſint tenebræ viduata carentia Lucis,
Corporis Umbra, minor quam deferat ambitus, eſt Lux,
Ambiguæ Lucis ſunt ipſa crepuſcula motûs.
Nox interpoſitâ cum Sol Tellure ſuberrat.
Si verò nitidas hilari pede libera moles
Lux eat, ora gerens tactis conformia rebus,
Inficitur, motoque colores lumine monſtrat;
Lumen enim magna vertigine circinat auras,
Cum ſit perſpicuæ Lucis commotio præceps;
Turbinibusque ferit longè, latèque videntem;
Sicut aquis lapis injectus ſtagnantibus undas
Conglobat: oſtentant pellucida quæque nitorem
Vel minimo tædæ motu luſtrata manentem.
Et velut æratæ per longa crepundia chordæ
Subſultant, numeroque tremunt, vel ab ungue citatæ
Protinus, & digito compreſſæ cæpta retundunt
Sibila: non aliter ſubito Lux lumina monſtrat
Conſenſu, motumque jubar Fax mota perurget.
Hinc procul irradiant ignes, & panditur ignis
Abditus in rebus, repetens primæva nitoris
Semina; nam ſimili coaleſcit imagine formæ
Sphæra colorati; quare ſi flamma vireſcit
Ex viridi vitro, circum quoque viſa vireſcunt,
Aut etiam varium ſi nutrimenta colorem
Inducant facibus, variè tectoria pingunt.
Hinc plures itidem tædæ ſua lumina circum
Vibrantes in idem corpus diverſa locorum
Denormant Umbris; quia Circulus à variato
Centrorum motu, varios emittit in orbes

Splen-

Digitized by Google

Splendorem; legesque ſuas ars Optica cudit.
Hinc etiam ſtabilis lucis tinctura videtur
Immoto fulgore facis; nec turbat obortas
Luce jubas Aquilo, ſimilem ſi deferat Æthram.
Namque colorato medium impediente, remiſsè
Vibrat opes radius; partes umbella minutas
Luſitat, & varios tingunt umbracula fucos.
Hinc pariter denſa ſplendorem lævia plaudunt;
Scabra ſuperficie laniant, cæſumque remittunt:
Raraque tranſpirant, & flexis, ſive refractis
Plana nitent radiis, convexa, & concava nictant.
Propterea Lux eſt color, & nitor ignis, ab ipſo
Semper dimanans actus, minimèque revulſus;
Viſibilis motu potioris lampadis; ipſum
Motum lucis habe nitido pro lumine; ſplendor
Eſt actus de luce fluens, de Luce reſultans.
Lux eſt principium viſûs, mediumque colorum.
Nam color in rebus nunquam videatur apertus,
Ni ſuper ornetur pandæ velamine Lucis,
Quæ per ſe primò in fucos verſatilis omnes
Extremis Albo, & Nigro pigmenta recludit
Omnia: Purpureum tradent Conchylia, Coccus,
Quod Roſa cũ Violis ſimulẽt, Crocus atq; Amethiſtus.
Rubrum, Puniceum, Rutilum, Giluumque colorem,
Vina, rubor, ſpadix, ignes, & flamma notabunt.
Quid Flavo, Fulvo, Rufo, Pulloque favebit
Luteus, Ictericus? Citrum, Mel, Galbana, Buxum,
Cera Leo referunt, Muſtella, Æs, Pallor, & Aurum.
At Viridis, Praſinus, varias imitabitur herbas;
Cærulus à Pelago, Cyanus, Glaucusque Lapillis,
Cæſius à Cælo: atque omnes plerumque colores
Nominibus rerum, quibus inſunt, eſſe probantur,
Et ſpecie differre ſuâ; nam candor Oloris
Et Nivis, & Byſſi, non eſſe putabitur idem.
Ignea Lux oculos, tactum calor igneus angit,
Quæ-

Digitized by Google

Quæque tepent flammis, illiſque carentia frigent;
Si quis enim in rebus calor eſt, ſimul ignis in ipſis
Abditur immixtus; quare niſi fecerit ignem
Omnipotens calidum; frigerent omnia; ſicut
In tenebris eſſent, niſi lucem fecerit ipſam.
Neu credas calidis latices obſiſtere prunis,
Aut levitare focis incendia; nullibi ſimplex
Eſt levitas: Numero, Menſura, Pondere conſtant a
Res quantæ: Leve reſpectu gravioris habetur.
At ſurſum tendit quadam vi denſior ignis,
Cum dilatatur vomitu eructante favillas;
Ut properat tenſis exploſa ſagitta baliſtis,
Inque rotas Pyrio de pulvere fulgetra laxas
Grandeſcunt; tereti fax ipſa in acumine ſurgit,
Qua datur igniferas torris ſpirare medullas.
Eſt Ignis tenuis ſubſtantia, lucida, fervens,
Eſt Elementorum princeps, fluidumque potenter
Activum; quamvis glebas areſcere cogat,
Afflatu ſugens ſuccos, & in aëra tollens;
Lene quid eſt, & molle carens humore madenti,
Non expers alio, quo paſcitur Ignis, & Unctum
Lambit, & eſt quid pingue,fugax, penetrabile,promptũ
Denſari, tricisque capi, celer extricari:
Lento vivificat plauſu torpentia; morſu
Interimit graviore furens, dum corpora tantis
Impetibus nequeunt æquas opponere Vires.
Quæ prodeſt, & obeſt uſu pejore, ſeorſum
Flamma rapit Lymphas, & in aëra trudit apricum,
Et jugi Cæli motu commiſta volutat
Adventu, redituque Notos; adoleſcere Nubes
Imperat, exanimes agitat ceu vita vapores.
Nam velut eſt Aër tenuiſſima portio Mundi,

Fri-

a *Sed omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti.* Sap. 11. 21.

Digitized by Google

Frigidus igne procul, ſine luce nigerrimus, udis
Particulis expers, non humidus, Ignis & Undæ
Fomitibus patiens reſpergi; ſic Aqua flammis
Miſta viget, calefit, bullit, non ſtricta gelatur,
Limpidior nutat; Flammarum extinctio partes
Diſſipat, vt refluo cum corpore miſceat ipſas.
Hoc eſt viſibilis Lucis mirabile monſtrum,
ANNIBAL, à Tenebris diſtinctio prima Diei
Appellata Dies, Tenebræ Nox atra vocatæ.
Si tamen invento prior eſt lux nomine vera,
Lux erat illa Dei Sapientia vera Parentis,
Quam ſupereffudit res omnes, Notio Primæ
Cognitionis amans fieri Lux noſtra; quid inquit,
Lux Ego ſum Mundi, Mundo prior à Patre natus,
Mundo poſterior de Virgine natus Jeſus?
Scilicet ut Mundi Moles jam facta per ipſum,
Obruta Culparum Tenebris, luceſcat ab ipſo,
Qui Lux in tenebris lucet, caligine nullâ
Comprehendi patiens: Oculos, ut Viſio Lucem
Induit, & fucos omnes; ita Viſio mentem
Clarior irradiat, Divinâ Luce renidens.
Aſt ubi me Muſæ cogant? in Luce minatur
Prima Dies radiis oculos occludere tantis,
Ignibus incendi: Phaetontis Fabula de me
Seu necis Icariæ nunquam narrabitur auſus.
Te Deus accivi Cœli, Terræque Parentem,
Qui detexiſti mundi primordia Lucis
Lumine; ne lateat quemquam tua ſumma poteſtas.
Da reditu Noctis requiemque, Diemque ſecundam.

Digitized by Google

OPUS SECUNDÆ DIEI.

Textus.

6 *Dixit quoque Deus: Fiat Firmamentum in*
medio Aquarum, & dividat Aquas ab Aquis.
7 *Et fecit Deus Firmamentum, diviſitque*
Aquas, quæ erant ſub Firmamento, ab his
quæ erant ſuper Firmamentum. Et factum
eſt ita. 8 *Vocavitque Deus Firmamentum*
Cœlum: & factum eſt Veſpere, & Mane,
Dies ſecundus. Geneſ. à num. 6. uſque ad
num. 8.

Firmamenti efformatio.

INtuitu patrata probans, patranda notabat
Rector adhuc operum modulis intentus agendis.
Cælicolæ miro circumſtant ordine; mentem
Attonito fervore tenent; inopinaque dudum
Portentis præcepta novis, ſpectacula rebus
Expectant; contra longè formidat Avernus:
Alteriusque horis inſtare Dynaſta Diei.

Cum

Cum Deus, ecce Deus, ſuperos ut ſeparet imis,
Et diſpeſcat aquas ab aquis, & Tartara Cœlo,
Fiat, ait, Firmamentum, quod dividat. Alto
Conſtitit Unda ſuper Cælo firmante, coruſcas
Cryſtallos imitata ſuper Tellure natabat.

Terram eſſe Mundi Centrum immobile.

QUid factum quæris? Fixo fundamine Tellus
Deridet motus omnes immotaque Mundi a
Machina mobilibus Sphæris circumſpicit imum.
Nam ſi turbinibus moveatur Terra diurnis,
Annua vel celebret majore volumina gyro,
Figmenti novitate vetus doctrina Sophorum
Carpitur, ac uno mendacia plurima mendo
Senſus, & Os Hominum dixiſſe verebitur uſque.

Abſurda, quæ ſequerentur, ſi Terra moveretur.

NOn ita ſunt Cœlum ſurſum, neque Terra deorſũ b
Non ita Sol oritur, non occidit; Aſtra morantur c
Et curſûs oblita ſui didicere ſoporem

a Pſal.92. *Firmavit orbem Terræ, qui non commovebitur.*

b *Contra eſt nam* Prou. 25. 3. *Cœlum ſurſum, & Terra deorſum, & alibi.*

c Eccl.1. *Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem &c. & alibi paſſim* Judic.5. 20. *Stellæ manentes in ordine, & curſu ſuo.* Vide Job cap 38. *Quis enarrabit Cœlorum rationem, & concentum Cœli quis dormire faciet?*

Non ita directâ motus libella per auras
Scrutatur; levium, & gravium diſtorta pererrat
Semita, vel recidant puncto, quo jacta fuerunt.
Et perpendiculum fallunt loca certa; ſed æquâ
Lance vagos circos äer, & Terra fatigans,
Stare ſitu neſcit. Rapimur, motuque volamus
Plus, minus; inconſtans plano jactura lapilli
Menſuram quaqua verſus faſtidit eamdem.
Et ſi quis Terræ poſtremos occupet axes,
Non caput obtundet tantæ vertigine molis.
 Indignor veterem linguam; quid Joſua Solem
Stare jubes? aliter fari diſcamus. Ab Ortu
Currat in Occaſum Tellus, Noctemque, Diemque
Soſpitibus reddat tectis, & neſcia Centri
Saxa ſolum repetant obliquo tramite, ſurſum
Tortilis ignis eat: Sol in ſublimia nullum
Noſcat iter, Mundi centro demiſſus in imo
Tempora non curet. Tellus operoſior illo
Mota Dies, Menſes, Annos, & ſigna miniſtrat. a
At ne ſola graves caſus formidet eundo,
Cum ſolido Lunam circumferat aëre, firmis
Syderibus: quidni cæleſtia Sydera veſtrum
Penditis influxum ſine motibus? indiget illo
Terra? gradus properet, veſtrumque Tribunal adoret.
 O quales mutata Phaſes natura repoſcat!
Si licet errori plures aptare cachinnos,
Ut cerebro natam defendat opinio Sphyngen,
Quemque Planetarum poſſim compellere fixum.
Nos itaque inſtinctu Fidei firmiſſima Terræ
Libramenta rati, ſolidum, Stelliſque locandis

Per-

a *Luminaria, & ſint in ſigna, & Tempora, & Dies, & Annos.* Gen.5. *Quæ omnia dici verè non poſſunt, ſi Terra moveretur, & non Sphæræ Cœlorum.*

Perſpicuum Cœlum, motuque volubile cuſum
Credimus, & liquidas ſuper hoc inſiſtere lymphas. a

Neque Mundum, neque Cœlum eſſe Animatum formaliter.

Contra Platonem, & Ariſtotelem, qui lib. 2. de Cœlo, cum Averrois paraphraſi dicit, quod oportet nos intelligere ea eſſe viva Corpora, & habere actionem Animalem.

His Ego non meritò patiar præmittere Mundum
Vivere, non Animam Cæli formaliter ipſum
Eſſe Deum: quoniam quod factum fertur, in ipſo b
Vita erat ante Dies, Vitâ præſtantior omni,
Quam ſi materiæ limes determinet actu;
Nam facit eſſe quod eſt vivo Divina Voluntas
Imperio; cuius proprium ſit, ubique locorum
Eſſe, nec emanat, naturæ ſorte locatæ
Forma, ſed arbitrij virtus immenſa propinquat
Cominùs intuitu, dum res creat, atque gubernat.
Sed neque Cæleſtes formarum more per orbes
Mens agitat molem. Qui fecit in Intellectu c
Cœlorum Sphæras, illis aſſiſtere juſſit,
Sic inclinatis gyros complere perennes.
Quandoquidem, ſi forma foret Mens indita Sphæris,
Non intelligeret, niſi dependenter ab Orbe,

D 3 Cujus

a S. Auguſt. lib. 2. de Geneſ. ad literam cap. 5. *Quoquomodo autem, & qualeslibet Aquæ ibi ſint, eſſe eas ibi minime dubitamus. Major eſt quippe Scripturæ hujus Authoritas, quam omnis humani ingenii capacitas.* Vide S. Thom. 1. par: quæſt. 68. art. 2.

b *Quod factum eſt, in ipſo Vita erat.* Joan. 1. 4.

c *Qui fecit Cœlos in intellectu.* Pſal. 135. 5.

Digitized by Google

Cujus forma foret, nec Spiritus eſſet, at unum
Compoſitum per ſe primum, quod mole rotundâ,
Menteque conſtaret; cui mox adnectere ſenſus,
Eſſet opus; quo fine ferat ſententia motum?
Ut ſibi provideant, an nobis? ſi ſibi; nunquam
Ergo ſibi ſapiunt, qui nunquam mente quieſcunt;
Si nobis; ſatis eſt igitur, ſubſiſtere per ſe,
Mobilibusque Aſtris Mentes inſtare creatas,
Ut peragant motus, quos exigit ordo movendi.
Perfectum ſummi finem ſcruteris Agentis,
Et cape quâ poſſit rerum natura potiri
Sorte, Creatoris nutus indepta; per omnes
Effectus Bonitas excellentiſſima prodit,
Ut referant aliquid ſimilis, per plura Volentis
Artificis, quam non poſſent imitata per Unum:
Hinc diſtincta notes, & ab omnibus omnia ſumas
Hoc aliquid veri; ſi deficit infima rerum,
Non tamen hoc aliquid Veri ſortita fefellit,
Ne Bona ſit; magis accedunt meliora ſupremo,
Quo meliora dabis, ſimilem magis Icona profers
Artifici. Mentes igitur Mens Prima creavit
Molibus expertes; quo plures, quo potiores,
Hoc magis exprimitur ſummæ Bonitatis Imago,
Sic imitabilitas, activa potentia Cauſæ
Spirituum fudit ſpecies, quot velle libebat:
Exaturans etiam formis quampluribus actu,
Materiam ſerie diſtinxit, & ordine mundum,
Ut data principiis certis Natura, per omnes
Effectus Mundi primum manifeſtet Agentem.
Sic imitabilitas paſſiva potentia rerum
Multiplici profuſa gradu, quem poſſe libebat
Participem fieri, ſumpſit contingere quædam
Pro numero, ſumpſit quædam ſic eſſe neceſſe,
Pro ſpecie poſitâ, pro conditione ſequelæ,
Qua non ſunt aliud, qua ſunt imitata Volentem

Æter-

Digitized by Google

Æternum, qua ſunt etiam ſubjecta quibusdam
Naturæ propriæ vinclis, & legibus in ſe,
Ne poſſint ultra ceſſos excedere fines.
Si quid ab his tranſit, ſenſum latet; abdita pandit
Sermo Revelantis; cuius Perfectio ſumma
Eſt individui ratio cujuslibet, ut ſint
Hoc, illud, variisque modis ſimilabile factu.
Cum verò finem totius in ordine rerum
Particulare Bonum collimet, in omnia noris
Aſſimilatorum ſeriem, potiora præeſſe
Debilibus, majora minoribus, & magis imis
Nobiliora, quoad perfeceris omnibus unum
Simpliciter: Mentes igitur, quæ mole ſolutæ
Sunt, quædam Menti primæ ſublimiùs adſtant,
Aſſiſtunt quædam Cœlis, rebusque gerendis:
Unius eſt Hominis mentem, corpusque jugari,
Cætera ſunt uſu, vel quà mortale ſonabit,
Vel quà ſuppeditant jubar immortale vigendi.

De Cœlo Empyreo.

Empyreum primò referunt immobile Cœli
Nomine productum, ſenſûs quod præterit ictum;
Sed Cœlum Cœli Domino ſacra pagina monſtrat, [a]
Ne ſtatione ſuâ Regnum ſublime Beatos
Deſtituat, finique ſuo ne deſit Aſylum.
Quippe quietis opus cum motus, & ordo requirant;
Omnibus in gradibus rerum res optima ponit
Menſuram reliquis, infra ſua jura locatis;
Ergo mobilibus Mundi ſi partibus ordo
Perfectum motum ſtatuit per mobile primum,
Perfectam quoque conſtituat ſublime quietem.

a Pſal. 113. 16.

Digitized by Google

Quo magis immoti Motoris Imago per ingens
Corpus, & eximiis fulget virtutibus, ipſum
Hoc magis Artificem manifeſtat in arte Potentem.
Ergo viſibiles inter ſi corpora moles
Continet Empyreum, reliquis excelſius, æquum eſt
Simpliciùs referat perfectâ mole Tonantem.
Inſupèr & Centro Tellus immobilis imo
Exigit immotum, quo ſiſtitur ambitus, Orbem;
Sitque ſuperficies Convexa, locuſque locorum.
Ergo ſi Mundi non ſit pars extima conſtans,
Et perfecta gradu ſuper omnia Corpora, Mundus
Parte caret firmâ, Centrumque obliquat Agentis.
Propterea ſi parte mouens quà ſiſtitur, urget
Corpora mota, Deo placeat ſuper omne creatum
Corpus ab Empyreo ſtabili virtute manentem a
Mittere cauſandi fluxum, fauſtamque locandi
Menſuram. Vos ò Superi, quos Gloria tantæ
Molis habet, noſtros meliore juvate Penates
Influxu, ne nos tanto fulgore potitos
Non locet Empyreum; ſed corpus adorea comat.

De Aquis Cæleſtibus.

Hinc poſt Empyrei Cæleſtia Regna Beatis,
Regna parata Choris, immunem motibus aulam;
Et ſine Syderibus, primum poſt mobile, dicunt,
Concrevit ſtabili Cryſtallinus humor Olympo,
Quem longo perſpecta parum trepidatio lapſu
Temporis obtinuit noſci; ſed firmiùs illum
Biblia ſacra docent; quoniam quis viderit unquam
Num Firmamenti polus inclinatus ab Axe
Mundi circuitu parvo, lentoque vacillet?

Si

a S.Thom. par. 1. quæſt. 66. art. 3.

Si ſuper aſtriferum Cœlum meditemur Aquarum
Naturam, non eſſe parum diſcriminis inter
Noſtrates remur; quoniam Divina creatis
Efficit in rebus quamdam Diſtinctio Formam.
Hinc igitur ſectas ab Aquis Cæleſtibus imas
Conditio, ſtatus, & motus differre probabunt;
Non tamen, ut generi ſit convenientia nulli
Proxima, cum ſit Aquæ ratio communis utrique.
Qua propter fluidas, udas, gelidasque locari
Crede probabiliùs firmo ſuper Orbe ſubinde
Syderibus compto; quarum ſi copia texit a
Convexum Sphæræ, major ſubvecta videtur
E medio ſurſum, gremio quam didita Terræ:
Nam medium duplicata globum proportio defert
Bis quater augeri, pleni ratione quadrati,
Cumque ſit ad Terram ſpatii firmantis Abyſſus
Maxima, ſi tantum Cœlo ſit tegmen aquarum,
Quantum Terra fovet, fuerit vix area vaſti
Fornicis uda ſuper; ſpatio vel fluxit ab omni
Prima freti facies, & Abyſſus opaca tenebris.
Quomodocumque putes; ſuperos attemperet ignes
Frigore, Stellarum radios vel nube reflectat
Cælica Lympha levi, motoque volumine ſacrum
Protegat Empyreum; Mundi non præterit uſum;
Si ſatis hinc etiam ejusdem rationis habentur
Partes, & totum; ſpirant inferna ſupernis;
Infernisque ſuperna parant ſpiramina ſortem.
Et ſolidatus Aquis vertex, firmataque fixis
Orbita Syderibus Mundum demonſtrat eodem
Materiæ tractu fuſum, quo Corpora formis
Sunt fabrefacta novis, nullo cædentia niſu,
Sed tamen arbitrio Domini ſubjecta ruinis.

Hypo-

---

a *Qui tegis Aquis ſuperiora ejus*. Pſal. 103.

Digitized by Google

Hypotheſes Aſtronomicæ.

QUin Firmamentum motu ſplendeſcere primo
Contemplabantur veteres, quia mente ſequuti
Aſtrorum aſpectus, nunquam vidiſſe minutum
Diſcrimen poterant; quò progrediuntur ab Ortu
Sydera fixa, velut norant errantia; quippe
Mille Cyclis ducunt, Mæandris millibus orbes
Aſtronomi, ut motus certâ ratione diurnos
Percipiant, mediasque vices, perigæaque puncta,
Centra, Polos, Axes, Auges, varioſque regreſſus;
Et modò veloces, modò tardos, atque morantes
Apparere vident; & in omnia monſtra volutant
Ingenium, longæ ne non reſpondeat arti
Phænomenon; confert Hipparchi tempora viſis
Syderibus Ptolemæus: opus determinat ingens,
Quod ſtupet Uranie, quod Poſteritas imitetur;
Et motu recto per ſigna ſequentia ducit
Aplanen: Aliis alii deducere Cauſis
Nituntur Cœlorum Adytus; ſed duplice Tycho
Stellarum Centro, molem metitur in omnes
Amfractus, nimiumque Phaſes Copernicus auget
Mobilitate Soli: tamen hic exactiùs omnes
Aſtrorum motus ficto Syntagmate profert.
Difficile eſt primis varios obtutibus orbes
Rimari, facile eſt inventis addere: nunquid
Inde ſuo ferri motu mediteris in ortum
Sydera, dum primi rapiuntur ab apſide Cœli
Occaſum verſus? ſolidiſque canalibus ire
Per loca tot parvis Epicyclis rupta Planetas?
 Sunt hæc ingeniis hominum (mirabile dictu!)
In fines inventa ſuos; nam calculus artem
Diluit inconſtans, vario diſtractus arithmo.

Qua-

Digitized by Google

Quapropter petit in paucas concludere leges
Schemata Cœlorum. Simplex natura vagari
Geſtit in Amfractus nobis ignota gerentes
Principia; & quorum nondum ſint æqua repertis
Themata. ſudandum eſt alio Syſthemate Mundi,
Quod magis, atque magis naturæ conſonet âſtris.
Quis mundi ſapiens? vaſtas quis menſus abyſſos? a
Quis digito tetigit? durataque membra probavit,
Anne incorruptis eſſentia quinta lacertis
Integra pelle fibras omnes cuſtodiat? utrum
Sit locus arboribus? regio ſit inhoſpita brutis?
Et virtute calor, non actu ferveat? Ignem
Motibus in Sphæram, ſub Lunæ fornice, nullis
Viſibus inſpectum, ſuccenderit Arbiter? utrum
Motus in Ellypſin, centro ne feratur ab uno?
Obſervare licet noſtro diſtantia viſu,
Et conjecturis inferre probabile dictu;
Sed media ingenti fallunt diſcrimine mentem;
Irrequieta omnes ratio ſe vertit in auſus,
Garrula ſolertes confundit opinio ſenſus, b
Ambitus à Centro ſpatium ſejungitur ingens;
Tellurem Mundi centrum deprædico, Punctum
Reſpectu Sphæræ totius; & ambitus âſtris
Terminat intuitum, per inania cætera fallit.
Propterea an Sphæræ ſeſe tangentia geſtent
Corpora, neſcitur; vel an impetus altior orbes
Subjectos rapiat, contra nitantur & ipſi.
Hinc, atque hinc ſolidâ conſiſtere fronte videntur
Cor-

---

a Job 38. 33. *Nunquid noſti ordinem Cœli; & pones rationem ejus in Terra?* Eccl. 1. 2. *Altitudinem Cœli, & latitudinem Terræ, & profundum Abyſſi, quis dimenſus eſt?*

b Sap. 9. 16. *Difficile æſtimamus, quæ in Terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore; quæ autem in Cœlis ſunt quis inveſtigavit?*

Digitized by Google

Corpora cæruleum depicta voragine vultum
Continuis liquidos attactibus edere fluctus,
Et celebrare vago connubia mutua motu,
Æthere, luce, ſitu, proprioque effundere mixtìm
In medium afflatus tenues; ſed nulla calorem
Emittet motu glacies, & quidlibet expers
Igne; ubi flamma latet, valet inde caleſcere motu,
Quem facit allidi duri conſtantia, tanquam
In pelago ſcopulus liquidæ vertiginis æſtum.
O mihi ſi liceat ſuperos aſcendere Cœlos,
Viſere Virtutes, aſſiſtentesque Polorum
Cardinibus Mentes! vos alloquor inclyta Mundi
Culmina, dividuis regnum cæleſtis aquarum
Limitibus; tranquillus apex, tranquilla quietis
Seſſio, fluctiſonis Terræ ſupereminet Undis;
Nec vetitum mortale Genus, diviſa tueri
Mentis, & undoſæ Carnis penetralia niſu,
Firmatiſque Polis infernæ Partis, & altæ,
Pro centro cohibere rotas, ut in ordine motus
Eliciant. O vos veniam mihi cedite, Mentes;
Mens agitat molem: Menti ſuccurrite noſtræ.
Degenti Terris fas eſt quoque degere Cœlis.

De Duro, Molli, & Fluido.

Quæ verò ſit cauſa patens, cur lenia quædam
Perfacili fluxu refluant, & dura protervis
Vincta ligaminibus ſiſtant; ab origine ſortem
Nacta ſuam, commune gerant hæc, illa ſoluto
Glutine nil habeant toti commune ligatum,
Crediderim. Quia fluxus Aquæ diverſus ab Ignis
Fluctibus, & pariter diverſus ab äeris æſtu,
Diverſum demonſtrat opus; ſi Sphærica partes
Contextura movet, quare non ſemper eodem

Fertur

Digitized by Google

Fertur idem motu? Tenuis lux in loca præceps
Advolat, & flammæ vis tardior imparis ignes
Agglomerat. Studeat miſcere quadrata rotundis
Democritus; quoniam diverſis rebus eundem
Attribuat curſu fluxum, quò ſingula torno
Sphæra ruat? non eſt eadem. Non ergo figuris
Conſtat eisdē. Eadē? haud igitur diverſa; quod obſtat
Suppoſito. Refluunt ſic nata, carentia nexu,
Artubus hæc teneris propter tenuiſſima fuſæ
Materiæ momenta, magis ſunt cædua duris.
Dura penetratas millenis orbibus in ſe
Materiæ partes cogunt, cædique reſiſtunt;
Difficiles neri, longâ tamen arte teruntur,
Tritaque jam refluunt, ſtatui revocata priori
Conſiſtunt. Igitur ducunt ab origine ſortem
Mollia, dura ſuam, varioque fluentia ductu.
Forte putent aliqui, primo quod fecerit ortu
Cuncta Deus puro ſtringentia vimine partes;
Sed quædam fragili conflata vigore, citatis
In partes reſoluta ſuas impulſibus, atque
Mixturis fuerint; flammis velut Æra liquantur,
Quæ ſi clauſa ſtatim vaſis agitentur ahenis,
In teretes abeunt cineres contuſa minutim.
Sic Aqua, ſic Aër, ſic tenuia quæque manebant
Ante, ſed impulſu Motoris, & igne creato
Saucia cæperunt ſolvi, contritaque cunctis
Partibus amiſſum perdant magis uſque ligamen.
Sicut Aquis lapides rodit labentibus Amnis,
Lævat, in exiguas fragmenta remittit Arenas.
Parciùs iſta canam; quia quomodo fluxus aquarum
Stringitur in glaciem, poſtquam defluxit in undam?
Cur motu redeunt, ſi conterit omnia motus?
Et quædam contuſa ſolent lapideſcere, quædam
Pulverulenta rigent, quædam corroſa liquantur;
Hæc acri ſolvuntur aquâ; mox arte reſurgunt;

Illa

Digitized by Google

Illa fluunt ſemper, nunquam nexum illa remittunt;
Ex quibus inferimus proclivia quæque ſuâpte
Naturâ mutare modos, aut integra ſiſtunt.

De Æthere, & Aëre.

SUb Firmamenti titulo latiſſima Mundi
Machina ſæpè venit, ſpatium cum firmiter omnes
Detineat Partes; Cæli ſub nomine crebrò
Fertur idem ſpatium; Cœli qui nomine gaudet
Judicis appellat ſenſum ſubtiliter Aër. a
Erigitur rutilans ſpatiis ſublimibus Æther;
Et ſimili Cœli ſua nomine jura repoſcens,
Ima petit; querulis Aër aſſibilat Euris,
Et procul aſſurgens, ſua regna per Æthera pandit.
Audit Ariſtoteles, Cœlos definit, & aſtra
Æthere ſignari; ſpatiis incluſus iniquis
Jupiter aëriâ ſub dio Nube reclamat.
Siccine cum ſuperis Tellus appareat idem
Fætus, ut infernis cæleſtia Manibus, Æther
Omnia dicentur; Leni pede purior Aër
Supremas violare plagas formidet ab ipſo
Limine Lunari, niſi devolet eminùs Exul?
Exſthaticum gradiaris iter; tibi nonne videtur b
Terra nitens Aſtrum? Quare non creditur Æther?
Nonne planetarum ſpiris via libera lucem
Torquet in ima? quid eſt, animam ſi ſpiret in altum
Ath-

---

a *Hinc* Geneſ. 1. 26. *Volatilibus Cœli*. Ibid. 14. *Fiant Luminaria in Firmamento Cœli*. Lucr. lib. 1. *In hoc Cælo qui dicitur Aer, & Jupiter Aer intelligitur*. Hor. lib. 1. *Sub Jove frigido*. *Quæ ſequuntur poeticè tractantur*.

b *Vide Kirkerium in itinere exſthatico*.

Digitized by Google

Athmoſphæra levem, circa ſe denſior halet? a
An bene conveniat duris, & mollibus unum
Nomen? habet veri certos Armilla Trigonos,
Queis aditum reſeret liquidis, & talia fatum
Audit Anaxagoras. Ignem facit Æthera: litem
Mitigat. O Æther quantum ſic Aëre differs!
Tu per te rutilas; vegetas & inertia motu;
Tu per te calidus, tua ſemina condis ubique;
Tu refoves. Aër ſine te, nihil obtinet horum;
Hic minus activâ refluos indagine ſuccos
Ebibit, & lucem facili ſplendore maritat;
Et quaſi pilentum ſummis, imiſque paratum
Spiritibus, leviora vehens, graviora relinquens,
Conciliat; ſenſim tactu palpatur amico;
Ignis & ardorem medium tranabile mulcet;
Hic Terræ, Cœlique ſinus comes Ætheris opplet,
Magnaque perraro loca dividit intervallo.
Cumque ſit impulſu ſeſe feriente moveri
Segnior, alliſu frendet, fremit, ejulat, aures
Tinnulus applodit, veluti ſi ſciſſa papyrus
Strideat, & cuneis quaſſatus percrepet aſſer.
Hic etiam quadam pice reſinatus, & uncto
Conjicitur ſimilis, denſis cum talia flammis
Procreet admixtus, maneatque tenaciter ignes,
Adjutus lymphis, & craſsâ uligine Terræ.
Eſt illi pariter virtus elaſtica, fugens
Attractu Nebulas, tumido quas tergore terris
Elevat: Hinc nimio concluſus robore folles
Bacchari Thyaſis geſtit, truditque per auras
Euripis fontes, vacuique pericula monſtrat.
Vim diviſivam rerum quoque continet Aër

Unde

a *Athmoſphæra eſt halituum Sphæra, qua vapores pervenire poſſunt ab unaquaque Sphæra, ut à Terra, à Luna, à Sole.*

Digitized by Google

Unde ſuo lictu rorantia carbaſa tergit,
Siccat humum, ſpumiſque focos afflantibus urget,
Ne venas non maſſa ſuas diſpertiat igni.
Frigidus eſt Aër, Aqua frigida, frigida Tellus; a
Sed tamen Igne calent. Magis hoc: eſt arida Tellus,
Aridus eſt Aër, eſt aridus Ignis, & undis
Humida ſunt: Aqua certiùs humida: frigidus Aër.
Namque quid eſt frigus, niſi defeciſſe calorem?
Sicca quid ariditas, niſi cum deeſt humor aquarum?
Quicquid enim calor eſt ignis, quidve humor aquarum
Novimus: Ergo quibus calor, humor deſit, habetur
Frigus & Ariditas; tamen his potiora requiras
Qualia: quippe madore carentia pinguia, non ſunt
Arida; ſic oleum, ſic ignis, pingue quid ardent;
Et macer eſt Aër, non aridus: Arida Tellus
Non macra. Derides? Ubi ſimplex Corpus obaudit
Senſibus? Aëriæ moles impreſſa receptant
Omnia, quæ facili renuunt fugientia nutu.
Inde calent, frigent, caligant lumine, ſplendent;
Arent, humeſcunt, pingueſcunt, atque maceſcunt.
Quaſque Athomos dicas, Terræ ramenta volutant.
Propterea gracilis reliquis præſtantior Aër,
Si quem deſtituant extranea quæque, rigorem
Exercet ſummum, gelidas conglutinat undas,
Findit humum macie, conſtringit miſta reſolvi,
Dum vorat ingluvie quadam, velut Helluo quicquid
Se ſapit, & Protei ſpecies ſe vertit in omnes.
Sed quibus explanem verbis ita corpore ſimplex
Abſtruſumque meis Elementum ſenſibus? ipſos
Æolus, ut referem, ſuſpendit in Aëre Ventos.

De

a *Frigidum Aerem docuerunt & Stoici, quorum potiſſima erat Ratio; quia cum ſit Ignis lucidus ſimul, & calidus, conſequens videri, ut illi objecta natura tum frigida ſit, tum obſcura &c.* Cæl. Rodig. lib. 25. cap. 16., & Seneca lib. 2. quæſt. nat. cap. 10. ait, *Natura enim Aëris gelida eſt.*

Digitized by Google

De Ventis.

FRigidus hinc Aquilo tepidum decertat in Auſtrum,
Inque Notum Boreas, Vulturnum Circius urget;
Fundit Hyperboreos æſtivus Etheſia flatus.
In Subſolanum Zephyrus conſpirat Eoum:
Libs in Cæciaden, & Japis Corus in Eurum.
Nimirum Ventis nomen fecere locorum
Reſpectus, pluresque notant in Pyxide Nautæ;
Quam quod biſſenâ diſtinxit voce vetuſtas.
Nam Boreas, Aquilo, Corus ſpatiantur ab Arcto;
Et gelidâ niveos reſpirant fauce furores,
Sole procul. Contra Notus, Auſter, & Affricus afflant;
Et calidâ tepidos reſpirant fauce liquores:
At Subſolanus, Vulturnus, & Eurus ab Ortu
Regna movet Nabatæa, ferens quæ verrit ab Indis.
Spargit ab Occaſu jucunda Favonius ora,
Cui Zephyrus Ver lenè fovet, gravè Circius halat.
Sed quaqua verſum ſpirant, ubi Cauſa fluentem
Aëra conturbet. Porrò quæ Cauſa ſit afflans,
Aëriumque movens Regnum, quatiensque procellis
Noſſe laboramus. Magni quid Terrea ſiccum
Ariditas exhalet, ut inde quati queat amplis
Turbinibus Mundus? dicam nova ſcire volenti.
Pondera perfectam ſtatuunt æquata quietem;
Ponderibus preſſus momenta minoribus addit
Motus & exceſſum libræ gravioris adæquat.
Si verò librata ſuis à lancibus æquam
Pondera deſtituant trutinæ vim; fluctuat anceps
Et leviùs ſurſum fertur, graviùsque deorſum.
Inde fit in liquidis omnis commotio; namque
Libramenta petunt partes hinc inde gravantes,
Motaque pars parti minimo quocumque flabello

Digitized by Google

Stare loco neſcit; concurritur, æmula mixtis
Irritamentis partes hæc pugna laceſſit,
Imparium vires donec confuderit omnes,
Et nexu pariles ſuffecerit. Unica Venti
Ne ſit origo tibi; quia quicquid in Orbe movetur
Plùs, minùs inſtabiles momentis ventilat auras.
Sic igitur Cœli Motor conſtanter in Orbem
Inferiora ciens, facilem quatit aëre Ventum,
Quem Mare Pacificum novit; quem ducta Cometis
Semita ſignificat gyro. Namque ille globorum
Impetus Occaſum verſus dilator ab Ortu,
Mobile quem primum latè profundit in Aſtris,
Dum rapit immanes adeo conſtantia Sphæras
Corpora; non fieri poſſit, quin non quoque motu
Sollicitet ſimili fluidum ſimul, Aëra, Pontum.
Inde Planetarum ſolidæ variantia frontes
Ora ſitu referunt, Synodo, Sextante Cyclorum
Penthametro, Quadrante, Trigono, vel Diagono
Siquibus allidat liquidum, vertigine ferri
Diverſâ ſit opus, varioſque exurgere Ventos.
Hinc Orientales Saturni aſpectibus afflant,
Procreat occiduos Mars, Sol, & Luna ſuſurros.
At Venus Auſtrales, Boreales Jupiter effert,
Mercurio parent alii, quem lucida tranſtri,
Regulus, Alcides, Cervix, & Cauda Leonis,
Pleiades, Arcturus, Delphin, Lyra, Syrius, Hydra
Inſtigant furere, & Solem nimboſus Orion.
Sicut enim Hydromylâ motus contortus Aquarum
Tympana ſi mutent pinnas, modioſve; retorquet
Flamen, & undoſos fluxus; ita mobile primum,
Dum variat moles, influxus mutat, & auras.
Sed minus Ingenii mihi ſit, præſagia norint
Aſtrologi, non invideam. Mox ipſe receſſus
Lucis, & acceſſus varias per tempora pugnas
Ventorum generat, pluvias, & frigus, & æſtum,
Omnia

Digitized by Google

Omnia Flaminibus Cauſas, vireſque miniſtrant,
Dum Motûs Natura ſui conturbat iniquo,
Et Gravia, & Levia occurſu, pacemque repoſcit.
Nam roratus aquâ ſublimè vaporibus atris
Suffitus plusquam Sudum, præponderat Aër,
Aggeſtæque Jovem Nubes gravitate fatigant;
Dumque fatigatum frontem ſudare coercent,
Prævia portendunt celerem ſuſpiria fletum.

Igniculis etiam (velut obſervare caminos
Poſſumus undanti flammarum turbine flantes)
Aura tumet, refluit, crepitat, caligat, anhelat.
Non ſecus occluſis foribus, ſeu folle retrudit
Rimula ſpirituum globulos; ita denſus in antro
Rarus in aprico glomeratur ad oſtia Ventus,
Propter inæquales oneris diſpendia lances.

Vulcanum quoque languentem ſub ferrea maſſæ
Tormina ſolicitat ructatus anhelitus undis,
Quæ derivatæ camuris concluſa columnis,
In cava præcipitant, exploduntque Aëra caſu.

Præpetibus rapiunt Venti ſecum omnia pennis,
Et tales afflant, ut climata qualia verrunt,
Sic oleant; Nivibus gelidos Cynoſura; tepentes
Sole, Marique Notus, ſuaves Aurora, ſalubres
Heſperus exhalat; ſapiunt limoſa Mephitim,
Quæ reſpirato gentem languore parentat.
Et Vos ò Dryades, ramis crepitantibus Euros
Plaudite flaturos, Aegles viridantis odorem.
Et Vos ò Lymphis aſpergite, Najades, auras,
Ne teneras lambant labiis arentibus alnos.
Quid dixiſſe velim? quamquam reſpiret eodem
Cardine Cœlorum Ventus; nihilominus illis,
Hisve plagis prodeſt, quia prata virentia, campos
Frugiferos tranſit, flatus decerpit amænos,
Quos humus infelix alibi, vel ſtagna negarunt.

Digitized by Google

De Aquis.

At non diſſimili ſpatioſa per Æquora causâ,
Oceanus divexat Aquas, undiſque flagellat;
Et Scopulos, Syrteſque petens, & littora paſſim
Alliſus redit in Pelagus, redituque remugit.
Quandoquidem incumbens Terræ conamine toto,
Quam præſtat levitate, ſubeſt levioribus Auris:
Quæ lucis, motûſque ratis affectibus illum
Excruciant; Agitatus agit quoque funditùs, Ignis
Aëris, atque Soli Segmeta minora volutans.
Sicut enim radio clauſas penetrante feneſtras,
Cernimus obſcuras Athomis volitantibus Ædes
Afflari, puro quas crederet aëre plenas,
Haurit & has Sordes Cæli ſpectator aperti:
Sic Aqua miſceri ſimili farragine, quamvis
Perſpicua apparet; variiſque rigata, colores
Induit: albeſcit gypſi diluta lapillis;
Sulphure flaveſcit miſto, minioque rubeſcit;
Atra fit, argillas nigra fuligine tinctas
Irrepens; & cui rerum traducta cubili
Nupſerit, hoc faciem fuco reſperſa nitebit.
Hinc etiam vario Terræ cratere ſapores
Ebibit: Invenies dulces, ſalſas, & amaras
Diverſis manare Soli de fontibus undas,
Et paſſim ſpecies alias inferre palato.
Quin ego flagrantes vidi, ſi lumine flammas
Conciperent moto, calidaſque ingreſſus abivi
Sanior. Admiranda genus prolufit Aquarum.
„ Fons Antenoreæ Vitam qui porrigit Urbi
„ Colle ſedens Aponus calidis elabitur Undis.
Æthiopes redolente Lacu vaccinia, manant
Unguento, bacchantur Aquæ rubigine poti.

Nil

Nil natat in Syden, nil non natat Alcis ad oras.
Clitorium Vini tædet: Venerisque Salemnum;
Me quoque Celomii, tetrum ſpirantis odorem.
Quod niſi miſcibili referas, imponet amanter
Pharmacopola tibi puteum pro fonte propinans.
Hæc ita miſcendis liquidis propenſio Cauſas
Promat in alterutrum. Fluit, & refluit Mare certi
Temporis in numerum, tanquam ſi Cordis ad imum
Sanguis eat, redeatque potens ex Corde per artus,
Cum quæcumque ſuas venas arteria paſcat.
Non tamen eſt Animus Terræ, quæ talia motu
Præſtat; habet gravitas libræ momenta trementis,
Quâ verſus cava parte vocant Spelæa labantes;
Et refluo compellit Aquas in vortice ferri:
(Præter eas ipſas, quæ motant Aëra Cauſas)
Ac veluti commota ſemel cunabula longo
Nutant anfractu, veluti quoque pendulus alto
Funiculo Globulus vibrat per libera ſeſe
Arcubus alternis, vel iniquis tempora menſus
Æqua: vacillantes Lymphas, ſic undulat Æquor.
Ergo Aqua forte ſuâ ſit pura, ſaporis, odoris,
Atque coloris inops, uncto procul, anxia Terram
Diluere, & ſubjectare, & conſtringere cæno,
Sed bibitu facilis, miſcetur in arida promptè.
Frigida, quæ calefit, ſi tingitur igne nitenti,
Quo ſine prorſus hiat, gelidoque rigeſcit amictu.
Exilio lucis porrò, nimis äere frigus
Concipiente, latex venas transfixus acutas
Indurat: glacies, nix, grando, pruina gelantur
Ros, imber, nubes, aqua; conſtipata rigore
Frigoris, & Terræ ſalibus denſata nitroſis,
Aut aliquo ſimili, quod ſtricta coagula fingat.
Quippe Gelu terrenum aliquid ſibi jungit, & Aër
Ipſo frigidior coſtas injectus acerbat,
Igne procul; concedit Aquis innare; caleſcens

 Liqui-

Digitized by Google

Liquitur. In liquidis igitur non tangitur undis
Maxima frigiditas, cum Nix magis algeat illis,
Atque magis glacies, magis his quoque frigeat äer
Cauſa Gelu efficiens: Verum ipſa remotio lucis
A Terris, ab Aquis, & ab Aëre detrahit ignem,
Et motum exanimans ſimulat torpore veternum
In Terris, in Aquis, & in Aëre; ſed magis Aër
Æthera ſemotum ſentit, quia proximus illi,
Si caret exili nimium quæ corpore fuxit,
Debilis ejectat, Vires emarcidus omnes.
Propterea enervis motu ſua depulit undis
Et Terris fermenta, quibus calor exulat ultra
A Terris, ab Aquis, quæ frigore trajectæ ſtant.
Id calor à motu lucis; diverſus eoſdem
Ac calor, effectus prodit rigor: excoquit, urit,
Siccat, & humores liquidos explodit, & ignem.
Sed calor humores liquido fervore reſolvit,
Et rapit ignifero ſecum ſuccoſa volatu
Glandia; ni rapiat, veluti liquat Æra, rebullit.
Ex his rimari liceat, quod frigus in actu
Aërio ſine luce globo debetur, Aquarum
Diviſor, quia deliquium eſt immane caloris,
Et magis hoc patitur, ſervare tenaciter impos
Igniculos. Prigent paſſivè cætera juxta
Principium proprium; quia motus frigora motis
Imprimit in rebus frigentibus, & magis aptum
Impelli, magis eſt aptum perfundere frigus,
Cum magis inducat minimas ſubtiliter auras
In ſibi ſubjectum Corpus, pellatque calorem.
Nonne vides Glaciem reſperſam molibus Auræ,
Diſtendi majore loco, quam corpus Aquoſum?
Quapropter ſtipata cados diſrumpit, ut algent
Vina, Meroque latex diſtinguitur.
Haud ſecus ipſe calor primò quidem in igne moratur,
Et motu furit; at reliquis in rebus adhæret
Mixtu-

Digitized by Google

Mixturâ; motuque nitens revocatur in Æthram.
Humiditas autem Lymphis ita propria detur,
Ut quæcumque madent, & lento phlegmate pallent,
Undarum ſpumis humeſcant; & niſi Veſtam
Induerint, frigent latices, & frigora motu
Parturiunt, & aculeolis cogentia ſtringunt.

De Miſtione Elementorum.

PRotinus ut Cœli motus, ut luminis Æſtus a
Et laticis diſtincta Thetis, firmataque paſſo
Aëre cœperunt Altæ munimina Sphæræ
Conſpirare operi, liquidis Elementa lacertis
Miſceri cœpere ſimul: rapit Æthera totum
Mobile firmatum; ſpargit concurſus Aquarum
Aëra, perplexo ſurſum levat igne vapores:
Unda lutat Terram; tenues uligine fumos
Terra movet; motu ſpirant hæc omnia finem
Numinis intentum; quo fine creaverit Orbem
Omnipotens noſti? propter Natura ſuperni
Munia ſit meriti; perfectum Gratia Lumen
Exigit acquiri, Bonitate quieſcere ſummâ
Gloria contendit Mentes, Animoſque Beatos,
Ut quodam veluti diducta forinſecus intrò
Circuitu redeant, & ſit Deus ultima Rerum
Meta, quibus primus dotes conceſſit, & actus.
Ergo nihil fruſtrà fieri, nihil eſſe minuſquam
Conditio finis patitur, primique Voluntas

---

a S. Auguſt. de Geneſ. ad litteram lib. 3. cap. 3. *De Converſione Elementorum non parva Quæſtio eſt: Alii enim dicunt omnia in omnia poſſe mutari, atque converti: Alii verò eſſe aliquid omninò proprium ſingulis perhibent Elementis, quod in alterius Elementi qualitatem nullo modo vertatur.*

Digitized by Google

Artificis, reputa. Sine mentibus omne creatum
Si foret, aut nullæ fiant ſinè corpore mentes,
Cur ſibi ſufficiens prodit ſe Conditor extra?
Quæ finem ignorant, cur corpora bruta creavit?
Sunt igitur certo quædam res ſine creatæ
Miſcibiles, ideo fluidæ, cædique potentes,
Quas Elementa vocant, miſcerier apta viciſſim,
Quas Alimenta voces, & idonea paſcere fætus,
Et generabilium protendere ſemina rerum.
Cædua ſunt etiam, facili refluentia fluxu,
Infra ſe pariter cunctas miſcentia partes,
Inter ſe pariter partes agitata volutant.
Non tamen alternant Elementa ſuas rationes,
Cum diviſibiles inter ſe Miſtio partes
Conturbat, quia juſſa locis expanſio firmis
Dividere, in majus vim non habet Argumentum.
Nam ſi dividitur Moles Telluris, & Undæ,
Miſturâque lutum coaleſcit, ut aſpicis, unum
Imperfecta facit Generatio; perdita non eſt
Ariditas Terræ, ſed Aquæ confuſa madore:
Propterea citò fit reditus, quia perdita non eſt
Humiditas Undæ, ſed humi ſpiſſata rigore
Protinus afflatu Flammæ diſperſa per auras
Arentem laterem primâ cum fronte relinquit.
Nonne vides prunas minui de Vaſe fragrantes,
Et tenuem ſpirare focum calefacta, remitti
Continuò, dum quæque ſuos fugientia motus
Exercent Elementa? vides madefacta per ignem
Lina vaporatum ſiccari; forſitan audes
Dicere perfectè genitum de viſcere lini
Humorem? Humorem perfectè dicere lino
Corruptum? Non eſt hic Aër alter, & alter
Humidus, & ſiccus; miſtâ fuit humidus undâ,
Et ſiccus redit abſterſâ, ſpirantibus Euris.

Ele-

Elementa non mutuò generantur, neque corrumpuntur à Natura. Favet Cabeus lib. 1. *Meteor.* Text. 7. quæſt. 1. *& alii.*

Non ex alterutris fiunt: Quis viderit unquam
Vel Totum in Totum verti? vel pura duorum
Membra ſuis patrem contactibus edere partum?
Quæ vis poſſit Aquam, (niſi ſit Divina,) viciſſim
In Terram mutare novam, vel in Aëra paſſim?
Si latices fiunt Aër, quid ab Aëre ſudat?
Arida ſi latices, & in ignem tranſeat Aër
Cur datur, ex habitu privatio, & inde regreſſus?
Obſervant Elementa fidem, ſunt omnia Mundus
Ipſa, vel ex ipſis gignuntur Mixta ſubactis,
Interituque vices referunt reſoluta priores.
 At ſi formari dicas mutabile corpus
Ex corruptibili formâ. Dum Terra fit Unda,
Unda fit Aër, atque Aër mox tranſit in ignem,
Cur Elementa ſimul non flagrent omnia? vel ſi
Mutuus eſt reditus, pariles ſi pugna Triumphos
Mutua concelebrat, veniam date partibus ipſis,
Quas Elementa negant, & mox Elementa regignunt.
 Ridiculum fateor, lapidem ſi cogito factum
Ex Flammâ: prius hæc Aër fit, & inde liqueſcit
In latices, latices tandem lapideſcere dicam.
O Dignus Colophone Tripus! ſi Terra fit Ignis,
Cur redit in Terram? ſi flamma potentior actu
In ſe vertit Aquam, quid colligit Æthra vapores?
An fit gleba lapis? fiunt an nitra metallum?
„ In noua fert Animus mutatas dicere formas
Corpora, dureſcant in ſaxa, metallaque glebæ;

Anne

Anne regreſſus erit? lapis iſte triabilis eſto,
Limus erit, limus dureſcat, & ecce lapis fit.
Tranſitus iſte patet; redeunt Elementa, quid ergo?
Si Totum quod erat nunc eſt quâ forma rediuit?
Hoccine diſpoſita Totum de parte reſultat?
At quo diſponi poſſint motore favillæ,
Ut fiant aliud? ſi diſſipat unda, caleſcit;
Aëre ſi fumant, referuntur in Æthera ſurſum;
Ad ſua Centra redit quicquid devolvitur extra.
Denique quicquid agit, finem non præterit Alti,
Præcepto Domini poſitum, quo ſine Creantis a
Appeterent Elementa vices, ut in altera mutent
Naturam? Certo conſummat ab ordine finis
Perfectum. Deus ipſa ſatis ſi fecit alendis
Pro miſtis, quid ſe mutant, corruptaque gignunt?
Quid ſe multiplicant, minuunt? concurſus eorum
Perfectis datur in Miſtis, iterumque ſolutis
Eſt reditus? non ergo perit formale minutum,
Quod fuerant, inter ſeſe cum ſingula partes
Commiſcent: aliâ pollent vitute creatæ
Sementis, nova Miſtorum cum forma reſultat
Ex minimis variè textis. Intellige veram
Naturæ ſeriem, medio tendentis in Unum.

Ariſtotelis ratio, cur Elementa generentur, & corrumpantur mutuò. lib. 3. *de Cœlo ſumma.* 6. *non probat.*

Dicat Ariſtoteles minimum corrumpier, ex quo
Diſſolvi ſemper partes patiatur in omnes,
Nam ſi ceſſarit, ſteteritque ſolutio, ſicut
Empe-

a Pſal. 14.8.6. *Præceptum poſuit, & non præteribit.*

Empedocles voluit, non eſt inſectile Corpus;
Sed minus hoc ipſo diſolvitur ocyùs, ergo
Corrumpi fateare minus, ſeu majus ab Actu.
At ſi diſſolvi, corrumpi dicis eodem
Stare modò propriè, quæcumque ſolutio rerum
In ſimiles partes Corruptio vera probatur,
Ergo ſolubilibus non detur partibus unquam
Empedoclea ſtaſis, ſed motus, & actio, quæ ſit
Mutua certatim, donec conſpiret alendis
Seminibus; mediat partes Elementa minutas;
Non facit eſſe aliud; quoniam virtus Elementi
Non valet attactu minimas conamine partes
Transmutare pari, cum non plus frigeat Undæ
Quam caleat Flammæ minimum quod ſic in utriſque.
Tum quia Naturæ ſunt Qualia prima valoris
Æqualis; Quanti fuit humidus humor aquarum,
Tantidem Tellus eſt arida: Flamma caleſcit
Quantum frigeſcunt Elementa carentia flammis.
Hinc igitur minimum quod ſic in quolibet actus
Exercet pariles, ne poſſit utrinque viciſſim
Mutari ratio: minimum quapropter oberrat
Vi propriæ formæ, repetens certamina paſſim
Huc illuc auctum ſimili, mox attenuatum
Diſſimili minimo; nunquam manet; undique pugnat,
Undique pugnatur pariter, nec deficit unquam;
Cum tenuetur apex, tanta virtute ſecantis,
Quanta poteſt tenuare pari de Corpore Corpus.
Sed neque majores minimum corrumpere partes
Oppoſitum poterunt, quia ſi diſpergitur undis
Igniculus, vel ſtilla focis ingentibus ardet,
Dividitur penitùs; ſi ſic corrumpitur, eſto
Mors Elementorum diviſio plena ſub omni
Parte, ſed integritas non eſt ſubſtantia rerum:
Si Pars ergo ſuam formam non mutat, vt Ignis
Fiat Aqua, aut contra; nihil actum crede; ſed Ignis

Digitized by Google

Non fit Aqua, aut contra, cum motus utrimque reſiſtat
Oppoſitus: Volat hic ſurſum, cadit illa deorſum;
Ergo non mutat formam Diviſio quævis,
Ut propriè poſſit ſemper Corruptio dici:
Quod ſi Dividuo ſequitur; monſtretur Agentis
Principium, genitura patens, & finis eorum.
Denique ſic dicas; comburitur unda, nec ignem
Extinguit; nec non ignis madet, atque liqueſcit,
Fit tepidus, friget, gravitat, non diſſipat undam;
Quæ ſi de ſpecie totâ dicuntur iniquè,
Cur de Particulis Elementi dicta probentur?
Totius ratio, Partis Natura putatur.

Corrumpi eſt propriè Miſtorum, non Elementorum, quæ transmutantur in melius. Nicol. de Lyra Sup. Geneſ. cap. 1.

NEc tibi congeries rerum, quà Mundus ab ipſo
Principio ſtetit ex nihilo, videatur inanis
Formarum nexu; vel ſpiritualia penſes
Condita diſtinctè, vel materialia paſſim,
Quæque ſuum genus, & ſpeciem ſortita videbis.
Sed ſimul ut ſuperis conceſſum eſt mentibus inter
Inconfuſibilis Naturæ limina pronum
Pondus amicitiæ, qua mutuus ordo fovetur;
Sic & viſibili Mundo concordia quædam
Rebus ineſt ſolidis, Cœlo, Terrâque cohærens
Per fluidas res, & liquidas: immobilis infra
Se locus excepit moles. Stant ordine certo
Res ſolidæ, Tellus, Firmamentum, Aſtra, Planetæ;
Hæc infra refluunt Aqua, & Aër, Æther, & Lux.
Halitibuſque ſuis exercent omnia motum.

Quæ-

Digitized by Google

Quædam ergo potius dicantur agentia; quædam
Dicantur motu patientia. Cuncta feruntur
Perfectum in finem, medii ratione parandum.
Perfecit Cœlos Dominus, quos Mente movendos *a*
Conſtituit, Terram ſpecie perfecit in omni:
Sed tamen inſtat adhuc operans, finique beato
Perfectum regimen per ſæcula dirigit ultrò.
Nec quod fecit Opus, ſubitò deſtruxit, ut eſſet
Hoc aliquod, quia perfecit, fierique gradatim
Hoc melius voluit, quod non erat ante creatum.
Quicquid perficitur minimè corrumpitur, ergo
Imperfecta quidem dum perficiuntur ab actu
Non corrumpuntur ſupra veniente repertis.
Quippe nihil pereat de corpore ſimplice, quando
Tranſeat in Miſtum, quia Miſti forma ſubintrans
Perficit hoc ſimplex. Elementa moventur, ut ipſis
Motibus acquirant melius. Dum miſta feruntur
Aſſociant partes vegetas, ut ſubdita formis
Exhibeant: vegetum properat ſentire: Supremum
Attingat metæ, ſi perfectiſſima Forma
Corporis humani ſubigat mutabile Totum.
Non ideò Corpus periit, ſi vivere detur;
Non ideo Vivens periit, ſi ſentiat indè;
Non ſenſitiuum periit, ſi ſpiritus inſit.
Nec corruptibiles Homines, in ſæcula quando *b*
Immortale decus, cæleſtia Dona Tonantis
Induerint tantâ mutati ſorte, peribunt,
Nec nova poſt Ævum cum fecerit omnia Numen *c*
Cum

---

a Geneſ.2. *Igitur perfecti ſunt Cœli, & Terra.*

b 1.Cor.13. 13. *Oportet Corruptibile hoc induere incorruptionem.*

c S.Auguſt. lib. de Eccl. Dog. cap.70. *Elementa, ideſt Cœlum & Terram non credamus abolenda per Ignem, ſed in melius commutanda.*

Digitized by Google

Cum ſeptempliciter lumen crebreſcet in aſtris *a*
Cum non Tempus erit, cum non Generatio rerum
Corrumpendarum repetet momenta, peribunt.
Concipis impropriè corruptum, dum generatum
Concipis in melius; paſſi nam Forma recedens
Deterior Geniti Formâ diteſcit ab Actu,
Quo nihil amiſſum reputes, vt mutat in Aurum
Collybus Argenti nummos, vel in Æra lupinos.
Sicut enim lucis radiis, ac ignibus Aër
Ut nitet, & calefit, corrumpi neſcit, & illis
Subtractis iterum neſcit deperdere formam
Naturæ propriæ; ſi contingentia ſunt hæc,
Oſtendunt methodum, qua ſe natura reformet.
Et Deus ipſe, quid eſt, quod cum ſimul omnia condat,
De tenebris faciat poſthac ſplendeſcere lucem?
Tum Firmamentum faciat, tum cætera formis
Oppoſitis? nunquid ſubito deſtruxit, ut illud
Hoc aliud faceret? nullum perfectio Corpus
Deſtruit, at Formâ ſtatuit meliore, quod hoc ſit:
Continet ac melius, quæ ſunt concorditer infra.

Meteora.

Igne vaporatus ſurſum volat, aſſilit humor
Attenuatus Aquæ: nebulas vicinior effert;
Et magis elatus nubes vapor Aëre conflat;
Frigore collectus pluvias, & largior imbres
Effundit, nimbos caſu vehemente rigantes.
Ipſe vapor tenuis recidens ſub nocte ſerenâ
Guttatim in ſtillas Ros eſt: concretus in herbas
Frigidiore novas netur candore pruina:

Nix

a Iſa. 30. 26. *Et erit Lux Lunæ ſicut Lux Solis, & Lux Solis erit ſeptempliciter, ſicut Lux ſeptem dierum.*

Digitized by Google

Nix ſublime riget nubes, albeſcit ab ipſa
Luce, velut glacies cultro conciſa minutim;
Sin aqua nube cadit, concreta cadentibus undis
Grando fit; & ventis turbo certantibus urget
Regna procellarum, tempeſtateſque ſonoras.
Igne per undoſas nubes errante corruſcat.
Fulgor ab accensâ pinguedine, ſulphure, nitro,
Cum propagatur tonitru per rupta remugit
Nubila; lymphatur ſpatiis combuſtio preſſis,
Hinc furit extinctis flammis, hinc fulgura torquet
Dira cremabilibus congeſtim afflata favillis.
Non aliter (ſi magna ſinas componere parrvis)
Cum faber ardentes calybes incude reformat,
Candet opus, lacubus merſos aſpergit arenis;
Stricturas jaculatur eò, quo malleus icit,
Et fragor in numerum ſuccendit fulgetra; cudunt
Æthnæum ferri centeno pondere fulmen
„ Bronteſq;Steropeſque, & nudus membra Pyracmon:
Accenſas ſublimè faces, & motus, & icon
Nominat, ut Uirgas, Capras, Stellaſque ruentes,
Lampadas, atque Trabes; eadem ſed cauſa revelat,
Et Fatuos ignes, Lædæaque lumina Ponti.
Sin autem videat per concaua roſcidus humor
Poſt pluvias Solem, variè depictus in arcum
Irida formabit, nam lux fulgore colores
Pingit in objectis diverſa parte relatis
Diverſos: umbræ nigræ, Lux alba videtur,
Horum mixturâ medii naſcuntur & omnes
Cœlis comparent ex umbrâ & luce colores.
Quin etiam viſu grandeſcunt, aut minuuntur
Per medium perſpecta aliud: Lux namque reportat
Directo, aut flexo aut fracto ſplendore figuras.

Opti-

Optica.

NAm Lucis radii recto fulgore vibrati
A centro ducis ad Sphæram conforme Diaphnum
Si modo percurrant ſpatium, producet eoſdem
Ad viſum effectus immotus luminis actor.
Si verò contra planum objiciatur opacum,
In ſua conſurgent radii cunabula ſurſum,
Directumque jubar geminabit luce calorem.
Sed quia projectus lucis, quacumque feratur
A duce ſphærali patulum defertur in orbem,
Plana ſuperficies, præter centralis acumen
Cuſpidis in rectum, reliqua inclinata remittit
Spicula, quæ Sphæræ modulos imitata parentis
Rectorum jubarum fiunt ſimulacra reflexu.
Tum quoque ſervatu dignum, quod parvula quævis
Scintilla, aut radius totius lucis Imago eſt:
Hinc ſpeculum effingit Solem, rerumque figuras,
Et fractum totidem pingit, multoque minores
Prototypo, quot ſunt ejus fragmenta ſoluti.
Sed minor intuitu confundit portio partes
Objectas, tantumque nitent ciliaria fibris
Lumina, ſtellanteſque vides à luce nitores.
Quid memorem niſi ſit planum, quod tela receptat
Luminis, Hoſpitium? velut inclinata per omnes
Pluraque plana ſitûs oculo diverſa videmus
Objectare faces; ita puncto quolibet orbis
Convexus radios rectâ centraliter omnes
In gyrum reſilire jubet; ſed quo magis eſt à
Culmine ſemotus, languet magis ipſe reflexus,
Angulus ipſe magis contusâ luce reſultat.
Ut verò plani facies quadrante reportat
Se totam, & quicquid lucis conceperat in ſe;

Sic

Digitized by Google

Sic quoque dimidium Sphæræ luſtrabile tædâ
Cernimus, æquali quod decidit angulus ictu:
Quò circa focus hic flexu præſtantior omni,
Præter directum; quia tota potentia lucis
Panditur in planum, tetragonia, mutua rectis.
  Quod ſi transparens infra ſe colligit Orbis
Lumina; refringet radios ad concava; fractos
Diriget ad centrum; decuſſatoque reponet
Ordine converſim ſpecies objecta figuras,
Quas iterum plano faciet conſurgere rectas,
Si nova lens vitreâ circi cavitate refringat.
  Hac methodo natura oculum conſtruxit, & ipſi
Pupillæ tunicas, humores, Sphærica lentis
In morem convexa, rei retinacula viſæ
Diſpoſuit, Totumque refert lens æmula viſûs.
  Hoc ſtudio, clauſis obſcura cubicula portis
Inſtrue; ſplendorem permitte foramine tendi
Rerum externarum, radiiſque nitentia ſpectra:
Cryptica mox videas verſis Albaria pingi
Vultibus umbrarum, quod ſi quoque lente foramen
Prænitidâ claudas; ò quas effingere formas
Poſſet Apellæis operoſa coloribus Iris?
  Tu tamen harmonicè diſtantia puncta notabis,
Quæ legis intuitu, vel quæ confuſa minores,
Majoresve tuis reddunt obtutibus Umbras,
Dum lenti lentem nitidas componis ad auras,
Ut benè conclavi radiantia lumina noſcas.
Hinc etenim noris certis variabile normis
Judicium Viſûs, radius ſi tranſeat idem
Per varium medium: ſic remus fractus in undis,
Sic lapis injectus fundo ſublimè videtur.
Sic oculi ſtructura ſitu ſi differat, arcum
Tegminis aut fundo propiùs ſenioribus Annis,
Contractumque gerens; aut laxa remotiùs; illos
Eminùs, hos acie diſtincta cominùs auget.

Digitized by Google

Quin etiam objectum geminat, ſi viſio conos
Multiplicet; ſundique fibras contingat acumen
Decuſsûs alias, neque concidat una Poteſtas.
Experiare vitris: Phyalam terebrata papyrus
Contegat anterius; quà ſi luſtraverit Ignis,
Oppoſitâ mittent ex parte foramina lucem
Occurſu, totidemque faces fax una colorat.
Non aliter polyedra baſi conſpecta ſub una
Congeminant rerum formas, ænigmata viſûs.
Linea recta movet viſum; radiusque videndi
Fertur ab objecto; quare ſi plura refulgent,
Pluribus & radiis opus eſt luſtrata remitti.
Apparet majus, quod ſub majore videtur
Angulo; & extenuat major diſtantia rerum
Effigies, acie nimium cernentis acutâ.
Quod ſi debilior radius non pulſet ocellum,
Intuitus confuſus erit; deperditur Icon.
Ex his principiis minor eſt obliqua tuenti
Viſus, & incertò lymbos dijudicat hirquis.
Directum duplex Oculus videt axe ſub uno
Certiùs, & virtus conjuncta potentiùs exit.
Cryſtallus majore globi conflata catillo
Reddit in oppoſitâ majores lance figuras,
Quà convexa nitet; quà concava parte, minores.
Et minus, & majus radiis comprehenſa duobus
Apparere queunt æquæ ſimulamina molis;
Fallimur aſpectu, magis hoc cum diſtat ab illo;
Sed juvat ex aliis ſpecimen concludere ſignis;
Si Perſpectivæ delectant pegmata ſenſum.
Acceſſu tentabis idem, ſimul atque receſſu:
Motus enim cathetos variat, ſtatioque videntem,
Viſaque; ſuffuſus Nebulis nutantibus Aër
Aſtra ſitu luxat, roſeis redimita capillis
Auctaque demonſtrat; ſcenæ ſpectacula dicam.
Sed quò me tulerint illos Elementa canentem

Affe-

Digitized by Google

Affectus, quos Orbe recens Natura creato
Ignorabat adhuc? offert occaſio frontem.

De Diaphano, & Opaco.

Nunc age, ſis: Quædam ſunt tranſparentia: quædam
Lucis opaca: ſolum ſic eſt, & quicquid apricum
A ſe lumen agit, poſt ſe deſcribitur Umbra.
Tranſparent Cœli, cum libera lumina Stellæ
Nobis transmittant; Aër, Aqua limpida, Vitrum
Cryſtallus, Glacies, & quicquid ab Igne nitorem
Concipit, excipiens infra ſua viſcera lucem,
Ultra ſe radiis gaudet jeciſſe refractis.
Cur ita ſint quæris? Denſum ſi credis opacum,
Rarum perſpicuum, quid obumbrant Nubila Solem,
Pendula Nix Clivos; Cryſtallus dura renidet,
Flamma licet niteat, poſt ſe ſubjecta videri
Denegat? hoc fuerit proprium ſic eſſe quibusdam
Rebus, ut ipſe color; nam qua ratione colores
Innatos Elementa gerunt, & prima creatæ
Germina Naturæ? Quanam Faber optimus arte
Tot lapides pingit, totidemque Metalla colorat?
Vel quibus inficiat fucis Cœlum, Æthera, Stellas
Aëra, Aquam, Terram, diverſo ut reddat amictu
Primò viſibiles? hac ſcilicet indole fecit
Per ſe tranſparens, & opacum: reſpice ſurſum
Cœlorum ſpatium: quid erit ſi fiat opacum?
Cum Deus intendat nexum, finemque ſuorum
Quicquid habent, operum; lucem tranſmittere Terris
Cuncta per aſtra volens, ſpatium tranabile, rarum,
Perſpicuumque dedit, quale eſt puriſſimus Æther,
Et quale eſt Aër, eſſent ut pervia nobis
Condita; Viſibilem per ſe quoque condidit Ignem,
Non tranſparentem, ſi denſior ardet, ut eſſet

 In

Digitized by Google

In ſe viſibilis motu; ſecus ille fugaci
Se pede ſubriperet, nec poſſet rite videri
Lux ſine mole ſui, quà cætera tincta videntur.
Lux igitur quà viſibilis nobis foret in ſe,
Non eſt transparens, neque opaca, ſed omnia luſtrans
Monſtrat opaca ſimul, cum transparentia Mundi,
Tanquam principium viſûs, indexque colorum.
Sed ſpatium Ætherium, per quod lux aurea tranſit,
Si ſolidum facias, mirum eſt, radiantibus aſtris
Eſſe Viam rectam, non interrupta planetis
Lumina, cum minimâ Cryſtallus lente refringat.
Nam denſum, durumque licet transpareat, illò
Dirigit ignitam lucem, quo concipit ex ſe
Compages, neque ſunt ſimiles errantibus orbes,
Aut numero, aut formâ. Vitas incommoda motûs
Si liquidum facias, velut eſt puriſſimus Aër.
Hic igitur fluidas, ſimiles per ſingula partes,
Dividuas, tenues, læves, lævore nitentes,
Luce penetratas, numeroſo turbine motas,
Undique perſpicuas oculis cernentibus offert.
Et quamvis ramenta Soli, teretesque minuti
Pulveris afflatus circa nos ora volutent;
Non tamen impediunt viſum; quia læve nitorem
Titillat; magnâ neque luce minutia contrà
Fert umbram, radiis penitus circumdata multis.
Da minimum Terræ, contra quod maxima lucis
Sphæra fluat; radiis cognoſces undique ſeptum,
Pro facie lucere ſuâ. Sic humor aquarum
Clarior eſt viſu, ſpumoſâ aſpergine fontis.
Sic Aqua transparet; quia partes undique læves,
Perſimiles, claras, facilique ſolubile motu
Corpus habet; quocum lumen ſi miſceat Ignis,
Viſibilem fundum reddat; Pars concita partem
Luce quatit, motuque rotat luſtrante lacunas,
Flncticolæ vt videant imo ſub gurgite Piſces.

Per-

Digitized by Google

Perſpicuum tamen eſt Pelagus minus aëre, cum ſit
Denſius; & radios alio movet ordine totos,
Cum minus indigeat viſu Gens humida Ponti.
Ergo magis denſum, minus hoc transparet & umbris
Ludit; at in raris quorum ſunt ordine partes
Confuſo, magis obſcurant obſtacula lucem.
Et quoniam Tellus rerum denſiſſima totum
Corpus habet ſolidum, duris compagibus impar,
Et ſcabrum, lucem ſiſtit, ſurſumque reflectit:
Et ſic eſſe putes lucentia Sydera Cœlis,
Et quicquid viſûs eſt terminus, atque figura.
Nec mihi ſubiicias glaciem, ſpecularia, duris
Juncta vitris: ſimiles quâ ſunt tenus ordine partes,
Aſperſæque poris, per quos lux transeat, & non
Sint nimium craſſæ; transparent; bractea quævis
Attenuata nitet; philyræ, chartacea quævis
Et magis uncta nitent, & linea carbaſa ceris
Illita vela nitent. Quid mox? hoc accidit illis,
Ut contexturâ lucem transmittere poſſint,
Quam bene crementum ſimilis rationis opacat.

Harmonia Mundi.

Est Aqua vis, à qua Vitam Generatio ſumat,
Æqua Soli facies, quam ſi ſuper Æthera norim
Stare, ſuper Cœlos omnes innare diremptam
Terrigenis; fluidam Cœli miſcerier uſu;
Hæret Aquis Mens, & Sacro de Flumine Flamen
Concipit. O Cœli vectes, adamantina firmis
Oſtia clauſa ſeris, quanam vos arte recludat
Janitor? Æternum docuit ſapientia Fatum,
Uno tergeminum ſponſari nomine Numen,

Digitized by Google

In Fluvio. Tres ſunt Teſtes, Aqua, Sanguis, & Aura. a
Prima diem Mundi compleverat æra ſecundam:
Terra ſepulta Mari nullum Viventibus uſum
Largiri poterat; ſed in Aëre Sphæra propinquo
Pendula conſtiterat, nullis ſubjecta ruinis.
Lux tenebris diviſa, ſuo Ductore carebat,
Quæ tamen à Cœli motu parebat Agenti.
Quis non miretur, tantum, quod partibus à ſe
Diſtractis gravitat, pondus, non pondus habere?
Nec gravitare ſuper ventos, terramque, fretumque,
Ingentem molem, fundamentiſque carentem
Rerum congeriem? Cœlorum culmina nullis
Niſa baſum fulcris, nutu firmata ſupremo
Perpetuas peragrare vias, parteſque per omnes
Conſentire ſitu? Centri cava Tartara fornix
Munit; Atrox vaſtas cautes circumligat andron,
Nec ſilicem pumex, nec mollis gleba metallum
Faſtidit: tenerum duro concordia certo
Fædere conciliat: Ponti millena ſuper ſe
Pondera geſtat humus: ridet Thetis aëra malis
Lævibus inſtantem; thalamum Junonius Heros
Non gravat accubitu; nec Sphæram Sphæra fatigat.
Quæque ſuo contenta loco. Quis dixerit iſtinc
In propriis centris Elementa graveſcere? fæces
Subſidunt liquidis, motuque premuntur adacto
Subdita; ſed partes toti, totumque cohæret
Partibus, & tanquam, ſi Ponte regantur, & Arcu,
Vix ſentire licet nobis ſub fornice ſtratis
Stare ſuper, vel Aquæ pendentia jugera, fultæ
Continuo laterum niſu, ſtipantia centrum.
Non ſecus effoſſo circumſtat pendulus antro
Rupis apex, humeros cui ſi ſubmoverit Athlas,

Cum

a Jo. Epiſt. 1. cap. 5. 8. *Tres ſunt qui Teſtimonium dant in Terra; Spiritus, & Aqua, & Sanguis, & hi tres, unum ſunt.*

Digitized by Google

Cum nihil inſudet, montem ſufferre videtur.
„ His quidam dictis, atque hæc exempla ſequuti
Vivere dixerunt Mundum; vegetare per artus
Harmonicis Elementa ſuos à motibus, æſtu
Vexari; quando colliditur, edere voces;
Et ſenſu pollere ſuo, parere Tonantis
Nutibus. O Regem cui vivunt omnia, quis Te
Non colat? Eſt aliud vis Omnipotentis in omnes
Mundi Particulas, cui non Natura reſiſtat;
Eſt aliud Vitæ dotari munere; Mundum
Creſcere quis dicat; nutriri, ſemine cogi,
Prole ſibi ſimili fæcundum? ſenſibus uti,
Mente gubernari propriâ? diſtingue ſuorum
Organa membrorum, ſenſus, objecta; repertum
Nil probat? inſano commentum linque Maneti.
Verum ego diviſum nati quid demoror Orbis
Imperium? Deus hoc ipſum non approbat, omen
Diſſidii; quando reprobas diviſio Mentes
Cæleſtes & Aquas ab Aquis diſpeſcuit imis.
ANNIBAL, Imperii ne te Diviſio turbet;
Eſt Animæ firmata quies, ubi dividit inter
Inſtabiles Mundi fluctus conſtantia mentem.
A ſenſu mentem, qui dividit, imperat; infra
Te cohibe viles curas, undantia ſæcli
Flumina; Mentis opes ſupra te collige firmo
Robore; non aliter parvus componitur Orbis.
Non aliter ratio vitæ ſpiramen adornat,
Quam ſi compoſiti Mundi Typon arte ſequaris.

Digitized by Google

OPUS TERTIÆ DIEI.

Textus.

9 Dixit verò Deus: Congregentur Aquæ, quæ
ſub Cœlo ſunt, in locum unum: & appareat
arida. Et factum eſt ita. 10 *Et vocavit Deus*
aridam, Terram, congregationesque aquarum
appellavit Maria. Et vidit Deus, quod eſſet
bonum. 11 *Et ait, germinet Terra herbam vi-*
rentem, & facientem Semen, & Lignum Po-
miferum, faciens Fructum juxta genus ſuum,
cujus Semen in ſemetipſo ſit ſuper Terram. Et
factum eſt ita. 12 *Et protulit Terra herbam*
virentem, & facientem Semen juxta genus
ſuum, lignumque faciens fructum, & habens
unumquodque ſementem ſecundum ſpeciem
ſuam. Et vidit Deus, quod eſſet bonum. 13 *Et*
factum eſt Veſpere, & Mane Dies Tertius.
Geneſ. cap.1.

Aquarum Congregatio, & Terræ detectio:

Tertia jamque Dies Terræ feſtina videndæ
Lumina pandebat; tenuique ſilentia labro
Veſperis in lucem indixit, verboque Tonantis
Spirituum intentas acies aſtare jubebat.

Tum

Tum Pater imperio nutûs, & nutibus ipſum
Promit Opus: Montes effert, & vallat Abyſſos,
Et Terræ ſubmittit Aquam. Labuntur in unum
Vaſta locum Maria; & ſiccum caput extulit undis
Terra ſuum; variis apparuit Arida clivis,
Montibus, & ſcopulis, & ſyrtibus eruta major,
Quà via rupta fretis, extruſa eſt altior Ora;
Littora dat propior, tractusque remotior arvum
Fertilius; mediâ montes tellure jugantur:
Celſa ſub injectas aſſurgunt culmina valles:
Infames humeros, & terga horrentia ſaxis
Suffultæ rupes, Æthram cervice laceſſunt.

Fluminum, & Fontium Origo.

SIc igitur declive ſolum labentia foſſis
Viſceribus tanquam venis exuxit Aquarum
Flumina, perque Jecur veluti transmiſſa ſub aures
Cordis, ſecretis derivat hiatibus hauſtum
In Fluvios, Fontes, in ſtagna, lacusque cruorem.
Nam licet Oceanus Terrâ demiſſior altâ
Littora percutiat, latebras tamen impetit omnes,
Motibus undarum ſaliens, ſuperosque quibusdam
Trudit epiſtomiis Fontes, & Flumina ſurſum,
Quæ redeunt iterum longos digreſſa meatus, [a]
Unde trahunt ortum, & rurſum tumulata reſurgunt.
Illa quidem pluviis hyemalibus aucta tumeſcunt;
Æſtivis tenuata focis demiſſiùs errant.
Et nivium fletus, & per juga longa vaporum
Ploratus quandoque fluunt imitata perenne

Fon-

---

[a] Eccleſ. cap. 1. num. 7. *Omnia Flumina intrant in Mare & Mare non redundat: ad locum unde exeunt Flumina revertuntur, ut iterum fluant.*

Digitized by Google

Fontis iter. Per teſqua cadunt, per ſaxa, per agros:
Et lapides tornant, & arenas marmore tundunt,
Et calcant Alveo limum; lectosque liquores,
In fluvios, fontes, in ſtagna, lacusque coactos,
Qualibus admiſcent, per quæ tranſire putantur.
Ne mihi ſuccenſe duplici ſi Flumina causâ
Derivare velim, pluviis, vel ab Æquore: Terræ
Viſcera penſemus magnis inſtructa cavernis,
Quas pluviæ repleant, aliquo ſpiramine fontis
Fuſuras paulisper Aquam. Deſcenſus Aquarum
Non minor aſcenſu fertur, ſi juge tuborum
Corpus horizontem pleno modulamine adæquet.
Si verò momenta Maris gravitate premantur,
Et motu; anguſtis ſpecubus ſubrepere plusquam
Sit Mare, ſublimi ductu conabitur humor.
Quod ſi continuos montis prægrandia Nilos
Antra negent; libella pares offerre lacunas
Concedat, quare ſubter labentia Terræ
Stagna vaporatas antri teſtudine nubes
Halitus in fontem nequeat ſtillare ſupremum?
Manat humus Pelago Sphæram connexa ſub unam,
Et puteis ſuffoſſa natat. Pone ergo profundum
Verticis à Pelagi plano diſtare per ulnas
Millenas, paulòque magis præ Mole; quid eſt hoc
Totius Sphæræ, reſpectu gurgitis ampli?
Ne motare queat miſtas Aquilonibus undas,
Igniculis, ſalibusque aptas aſcendere ſurſum;
Antrorumque cavas Cautes aſpergere ſuccis,
Unde ſcatent fontes? ad ſe fomenta trahendi
Fornicis ipſe Silex, humus ipſa reſervat in antris,
Sicut Aquâ mediâ ſuffundit opercula pelvis.
At non miremur ſummis in Montibus undas
Oceano plorare Soli penetrante latebras;
Cum ſuper & Montes, & in Aëra deferat ipſas
Nubibus afflatas: corylo tentetur origo

Fon-

Digitized by Google

Fontis: ubi eſt, inquam; viden' hic plus eſſe vaporum?
Hic erit. En igitur laticem ſi ſpirat apertum
Sicca ſuperficies Terræ ſublimè, quid ipſum
Humida, vel ſupra Montes non viſcera tollant?
Vel filo tenui, quod funditùs Ora lagenæ
Tranſeat ad calcem, tumor exhauritur aquarum.
Elevat arte lacûs, & parvo pondere fluxûs
Librat in aſcenſum pronos Siphunculus amnes.
Sed magis obſtupeas, quoſdam per tempora fontes
Interrupta ſuis rivis erumpere, tanquam
Aut Maris obſervent æſtûs, aut Syderis ortum.
Veſtigare licet: ſi ſubterranea fluctus
Stagna per alternos undarum lance recurrant;
Seu pluviis collecta minùs, plus inde fluentis
Oſcillent, ſeu ſaxa cavis abſtruſa ſub Antris
Impediant: quanquam veluti de Nubibus imbres
Non ſemper refluunt; ita nobis inferus Orbis
Non ſemper nubes, pluvias non ſemper adornat.

De Maris Salſedine, & Æſtu.

Motibus unda viget!, ſtagnat ſine motibus unda,
Et lento mucore gravem fovet intùs odorem:
Quem prohibet Salſugo Maris. Capit omnia gurges,
Et Sale commiſcet, quem Terræ immanibus antris
Comperit, atque fluens refluit, refluensque ſecundat
Ventorum impulſus, Cœlorumque abdita jura.
A tremitu motus Aër commixtus in undis
Nonne ſuperficie tenus ebullire videtur,
Et ſpumas jactare Sali refluentis in oras?
Tu verò diſtingue vices: quia pluribus Æquor
Æſtuat; à Cœlis; à Ventis; à Fluviis, à
Momento motûs; à miſtis, à reſolutis:
Et ſimul his attende ſitum, ſcopulos, ſalebras, &
Litto-

Digitized by Google

Littora cum finibus, fundoque, voraginibusque
Nam longè variant liquidorum hæc omnia motum.
A Cœlis Freta cuncta pati vim, legis adinſtar
Quà Sphæræ peragunt curſum, niſi cætera circum
Præpediant objecta, neceſſe eſt; alget aquarum
Motus in axe, pigri propter duo plauſtra Bootæ:
In medio propter celebrata volumina fervet.
Quandoquidem motus tantus velut impete ſecum,
Influxuque rapit, refovet ſubjecta, nec undas
Præterit: augmentum Pelagi, Lunæque labores,
Aſtrorumque ſitu, ſi præſagire procellas
Noveris, id quamvis vulgo videatur apertum
Conceptu, tamen inſudet penetrare Prometheus.
Nam crebrò ſine lege movent Maria omnia circum
Æolidæ; ſuprema imis confuſa volutant,
Fluctibus agglomerant ſpumas, ſpumiſque Procellas
Obvolvunt; redit à Scopulis eliſio frendens;
„ Additur unda undæ, atq; undã fugat unda volantem,
Lapſaque conſurgens Erebo, Cœloque minatur:
Nec finit ad Numeros ſervari Nerea motum.
Tum quia ſal fluviis quingenta per oſtia potus
Turbinat occurſu lymphas, imiſque ſub antris
Torquet, ut internos totidem deglutiat amnes
Faucibus, & Terræ ſcatebris deſpumet adactos.
Hoc igitur ductu fertur decurſus Aquarum
Ut Trochus. Exhibeat ſpeciem tibi concha ſupernè
Rivis exundans, infernè ſaucia rivis.
Humor ad ingreſſum lunatis plena Choreis
Vaſis labra rotat, patuloque vocatus ab imo
Volvitur egreſſum coni vertigine quærens.
Hoc etiam ſpectaſſe juuat, quod pendula certis
Pondera temporibus radios librare notamus.
Maxima fert arcu minimo vibratio motum
Æquâ lance parem: legem hanc natura potenti
Momento cuſtodit Aquis; quæ gurgite vaſto

Motæ

Digitized by Google

Motæ aliis cauſis, nutant, & funditùs alveo
Ad ripas molem oſcillant; alternaque totum
Libramenta Salum refluis conatibus urgent.
Haud ſecus hac illac Pueros cunabula motant,
Vel duplici ſuffulta arcu, ſuſpenſave tortis
Funibus undanti quatiunt ſudum aëra nixu.
Denique mixturæ Pelago vexante ſolutæ
Motûs exercent alios. Aqua pura priores
Nacta vices ſalium ruptis excepta cavernis
Traxit amaritiem: reliquis ita rebus abundans
Hoc olet, hoc genitis, corruptisque obruta nutat.

De Arte Nautica.

QUi verò ſine lintre nouum Mare primus obibo!
Et nondum tutas Elice diſcriminat oras;
Et nondum declinat acus magnetica rupes,
Et nondum rapidis inflari carbaſa ventis
Obſtupuit Doris, nondum videre volantes
Nare domos undis, ſylvis ſua ligna Napææ!
Nempe dies venient, cum dedignatus iniquas
Omnipotens Hominum curas genus omne ferarum,
Et cicurum medio ponto ſervare docebit.
Tu verò dilecte Deo, præ millibus unum
Seminis humani columen, poſt Sæcula Mundi
Quatuor acta quater, celſi portenta Tonantis
Viſa ſequute Noe, qualem compegeris Arcam? [a]
Ex te poſteritas frænandis fluctibus audax,
Navium in altivolans genus exemplaria ſumet:
Et proræ, & puppi firmâ cavitate carinam
Subjiciet, ſternetque foros; addetque ſuburram;
Et

a *Vide* Geneſim cap. 6., & Polyd. Virg. de Rerum Invent. lib. 3. cap. 15.

Digitized by Google

Et pice ſtipatas pinos ſentina piabit,
Si quid ab Æquoreo furtim ſtillaverit æſtu.
Mox uſi ratibus Myſi, Cymbisque priores
Phœnices breviora legent vada; curret Aphractis
Ocyor alma Rodos; nec non & nacta Celoces
Nobilius tentabit iter; limbisque Cyrenen
Illuſtrem, Cypron cercuris, atque phaſelis,
Pamphyliam Colchi ſuperabit Jaſonis Argo.
Dædalus antennas malo, vela Icarus addat.
Et ſcalmo Copæ remos, & ferrea roſtris
Culmina Piſæi; clavo regat Æquora Tiphys.
Anchora Tyrrenos juvet, & laxare rudentes,
Tranſtraque tergemino ſi remige firmet Amocles,
Inſtituat claſſem Minos, accendat in undis
Naumachiæ pugnas, Martemque celeuſmate vexet.
Cur autem facili per aquas devecta camelo
Navigia, & merces remis, velisque trahantur,
Et parvo temone vias mutentur in omnes,
Accipe; Pondus Aquæ partes inclinat in illas,
Quas ſibi declives reperit, vacuasque locari,
Et præceps defertur eò, quo cædua paſſim
Diffluit unda ruens, impulſaque pellit, & urget,
Et gravitate ſuâ, motuque facillima lævi
Sublevat, & quicquid per ſe labat, adiuvat iri
Deductum breviore manu, lentisque lacertis.
In primis facilis per lævia ſarcina fertur
Et teretes ſortita pedes dilabitur ultrò,
Quo protendit Apex. Hypomoclion inde jugatum
Vecte poteſtatem diſtantem viribus auget.
His ita principiis naues Mare lævigat unctum,
Planitie, rotulisque agiles ſubvectat aquoſis;
Et latera obliquè clavo diſtorta flagellat,
Qua ſinus eſt, graviùs; qua parte retuſus hebeſcit
Angulus è puppi liquidas projectat habenas;
Inde gubernaclo variatur in Æquora curſus.

Præ-

Digitized by Google

Præterea mali, & remi pro vecte fatigant,
Et velis, palmiſque auras, undaſque legentes
Libratum comitantur onus, quod tertia ligni
Pars gerat emergens mediâ cauitate repoſtum.
Nunc eat inſtructa Naui Palinurus in altum,
Signa Procellarum vigili ſpeculetur ocello;
Ne ſubitum irrumpat ſterili de Nube periclum,
Aut furor inſtantem nimbis confundat agonem. [a]
Neve repercuſſo Typho ſpiramine Nautas
Torqueat, aut præſter incendia fluctibus afflet.
Hoc opus, hic labor eſt. Artem experientia fallit;
Nec mora; ferte manus numero, date vela ſecundis
Halitibus; non Æthra rubet, non nubilat Aër,
Non ſpumat Mare, non fumo, non murmure vertex,
Non hyemem pallore jubar portendit acerbam,
Submotique Solo, Bolidem dimittite fundo,
,, Subdola cum ridet placidi pellacia Ponti,
Exploraturi quantus ſit gurges aquarum.
Da Grave deſcendens in Aquis, ſcrutabere quanti
Ponderis in ſpecie fuerit, vel id accidit eſſe;
Nam ferri, & plumbi lamella ſupernatat undis,
Terreus & pulvis, per ſe graviora Fluentis;
Sed leviora natant poſitæ ratione figuræ.
At lignum per ſe levius, graviuſque metallum
Ducis aquâ, ſub qua demergitur hoc, natat illud,
Et nihil omninò in ſpecie eſt, (exceperis ignem
Cujus onus ſuperat ferventior actio rarum)
Quod grauitate ſua, ſubjectas non premat Undas;
Diſtractum à proprio centro, totoque remotum
Sphæræ complexu, trutinæ quâ perdit amuſſim.
Hinc aliquid ſubmerſa natant, & pondere certo
Ligna gravata magis merguntur. Mergitur Aër
Ipſe, vel attractus piſcoſæ Plebis hiatu,

Vel

a *Vide Dechales de Navig.* lib. 1. prop. 16.

Digitized by Google

Vel deſpumatus motu, vel miſtus in ipſa
Mole natabilium. Qua de re ſola videtur
Aëris integritas ratio perfecta natandi,
Cum Piſces veſica regat, cum ſpiritus ipſos
Urinatores; & quæ magis aëre pollent,
Miſta minùs demerſa natant; quid cogit olivum
Nare ſuper latices? ſi qui latet Ignis in ipſo,
Plus valeat, quare, lignum ſupereminet illi!
Sed Terræ proprium mergi, ſecumque gravatum
Suffocare genus, luſu niſi præpete Nantes
Detineat numeroſa moræ concordia: Navim
Aſſimulant membris, erecto pectore proram;
Roſtrum fronte; ulnis remos, & cruribus; æquum
Motibus obliquis pondus perpenſitat artem.

Terram creatam eſſe Heterogeneam.

At variis primo Tellus diſtincta fodinis
Dicatur foviſſe ſinu, quæ vivere nuſquam
Vidimus, aut aliis miſtis concreſcere; glebas,
Saxa, Metalla, Sales, & quicquid foſſile certis
Principiis Natura nequit miſcere, neque illis
Solvere; ſis oculo Lynceus, dum plura per artem
Colligimus. Quoniam ſi corpore ſimplice purum
Undique Terra lutum primis concepit ab annis,
Quomodo non poſſent ſimiles producere formas
Æquali Cauſæ fluxu? qua nempe reſultent
Tot lapides cretâ? quare non igne Metallum
In ſua fornaces domitum primordia ſolvant?
Et quod ubique ſatum eſt Elemento ſimplice, quidni
Protulit haud ſimiles vultus? hic pallet arenis,
Hic Sabulo Tellus: figulis argilla Cimoli,
Cynnabari Libyæ pictoribus editur, & fert
Armenia, & Samos, & Lemnos diverſa colorum.

Digitized by Google

An lapis, an glebæ ſpecies ſit Sulphur, Alumen,
Et Nitrum, quisnam cernat? Judæa bitumen
Crediderit commune Solum? difformia Terræ
Membra probant variis congeſtum partibus Orbem.
Attamen & ſtudio quædam meliore coquantur,
Sicut enim Natura ſagax indurat ab undis
Cryſtallum, multisque vitrum ſolertia fucis
Tingit, an hoc aliis rebus contingere poſſit
Advertas. Orichalca nitent ex ære, lutoque;
Ex Ferro, lacubusque Calybs crudeſcit, & Igni
Plura patent: certè reperis, ubi naſcitur Aurum; *a*
Parvulus eſt Pulvis, quem terra dat, unde fit Aurum.
Sic habet Argentum Venarum certa ſuarum
Principia, & locus eſt auro, quod Sydera conflant;
Tollitur è Terra Ferrum; lapis igne ſolutus
Vertitur in Cuprum; virtus occulta propinquas
Nos cælat cauſas, avidosque Smaragdus adurget,
Ut purum rigido confletur ab Igne metallum.
Nec tamen affirmes vegetum; ceu planta. Quid ergo
Seminium fermenta negent? ut Bdellion Indum
Ligna gemunt; Electra Silex ex Æquore jactat,
Conſtringitque gelu; gummi lacrymabile, ſtacte,
Cinnama, Thus, propriæ ſtirpis ſudore rigeſcunt:
Non ita Telluri placeat ſudare metalli
Congerie? ſed pauca modos non prodere plures
Simplicia inſiſtam. Nimium ne crede Chymiſtis.
Nam Stamnũ, Æs, Ferrũ, Argentũ conflavit, & Aurũ
Conditor, Argillas, Lapides, magnasque Salinas;
Sicut in Hungariâ videas; quibus Unda liquatis
Salſa fit, atque Salem ſiccata calore reponit.
Horum Mixturis medios aſſurgere partus,
Ut Plumbum, Minium, Calybes, Orichalca putarem.
Nec fruſtra terebrat Maſſas Magneticus Hermes;

G Nec

a Gen. cap. 2. 11. & 4., Eſd. 8. 2., Job. 28., Eccl. 32. 8.

Digitized by Google

Nec Sale communi collectus ſpiritus aurum
Fruſtra diſſolvit; ſtygiique acredine ſucci
Liquitur Argentum: ſolidum deſpumat Obryzum
Scoria lecta focis; & cum videantur ab uno
Principio manare, cavis crebreſcere venis
Cuncta Metalla, ſuâ multum rubigine diſtant.
Nonne Aqua guttatim congeſtat pulvere Tophos?
  Credibile eſt etiam Terris, & Gurgite primùm
Aſpectus alios, quam nunc, patuiſſe; videmus
Quippe ſeneſcentem Mundum minus eſſe decorum,
Montes exeſos pluviis, nudata Parentis
Oſſa; Metallorum cuneos foſſore carentes,
Calvitie Clivos, deformes Vomere Valles,
Contractas rugis facies, & flumine Campos
Deletos; ubi Pontus erat, ibi findit Aratrum;
Nare Lacu Piſces, ubi Bos ad Paſcua luſit.
Quid non mutarit Noemi Cataclyſmus! ut ipſis
Verticibus ſteriles imponat glarea plantas,
Et ſummis tumulos inſcribant Oſtrea ſaxis.
  Id contemplati quidam dixere futurum
Interitum Mundi, cum complanaverit omnes
Unda Soli partes, cunctis dominata ruinis,
Æquoreas effundet aquas, primaſque repoſcet
Circuitus Formas: verùm ſpem differet ultra
Sæcula judicium Juſtis? tu ſigna propinqui
Judicis expaveas: Bella undique Bella, tumultus;
Cœlorum portenta, Sali diſcrimina, Terræ
Conflictus, Clades; quidnam expectare neceſſe eſt?
Quod niſi nimirum fuerit diſceſſio primùm, [a]
Atque revelatus ſcelerum Coryphæus, & omnis
Perditionis Apex; lateant oracula mentem.

Tum

[a] Theſſal. cap. 2. 3. *Quoniam niſi venerit diſceſſio primùm, & revelatus fuerit homo Peccati, filius perditionis &c.*

Tũ Cœlum, Terramq; novã fore, ſcilicet in qua [a]
Nulla lues aderit, quam poſt incendia Mundi
Credimus, & qualem, ut primo diluxit amictu.
Dicit enim Pſaltes, non inclinabitur ullo
Tempore: cur igitur poſſim tenuiſſe ſepultam [b]
Fluctibus, ex quo jam dudum Deus extulit undis?
Imbre ſuperficies, non fundamenta labaſcunt.
Vel quid agant propiùs, cum Terræmotus ab imo
Repſerit, inque lacus magnas abſorbeat Urbes;
Non tamen omne Soli culmen deglutiet unquam

De Terræmotu.

ASſiduè rapiunt Undæ graviora deorſum
In Mare; ſuffodiunt cuneos, fundamina rodunt,
Et mollita ruunt, & poſt ſe grandia vertunt
Saxa, tremit Tellus cum rudera mota repoſcunt
Sub terris centrum. quid enim? ſi libera ripis
Flumina corroſis præſtant hunc deſuper actum;
Clauſa ſub arcanis multo vehementiùs antris
Paulatim exeſas turbabunt impete cautes.
Sub terris etiam latitant incendia, Sulphur
Paſta, Nitrumque furens;ita ſtagna calentia monſtrant,
Et quandoque vomens Ignem ſciſſura trementis
Ruris, olens graviter; ſuccenſa bitumina laſſant
Compagem, quia vel ſerpunt ſecreta cavatis
In finibus, Flammæque rotâ ſua limina pulſant:
Vel quia conſumptæ cæcâ fuligine rupes
Non valeant ſuperimpoſitas ſubſtollere moles,
Disjiciunt baſibus nitentia Pegmata fractis,

[a] 2. Petri cap.3.
[b] Pſal.103. 5.

,, Sub pedibus mugit Tellus, tremefacta dehiſcit;
,, Concuſſæque cadunt Urbes, dubiæque minantur.
Nam Terræ motus ſunt ſubterranea quædam
Tempeſtas, Uteri materni Tormina multis
Excita Cauſarum ſtimulis. Aquilone retortus
Venter humi tumuit Salibus, Pice, Sulphure, Nitro;
Hæc agitant Ignes atri, mixtique vapores
Ignibus occurſant; aër elaſticus urget
Tempeſtatis Opus; ſubter tonat inde, coruſcat,
Fulgurat; arcano motu ſuprema ſileſcunt,
Attractuque latent fontes, pavet ignis, & aër.
Fit ſonitus fluxu; clauſi ſub ventre dolores
Debiliore via faciles erumpere, portas
Arripiunt, quatiunt Ædes, & culmina circum,
Et longo titubant tractu, velut ebria motu
Quæ loca vicino rupti terrore Baratri
Subſultum ſenſere gravem. Mox panica vires
Fontibus, & flammis auget veſania, nunquam
Ceſſatura quoad, ſive interrupta meatus
Pervadat minimos, ceù ſi Paralytica ſpiret
Membra lithargyrion. Simili formidine pulſi
Terrigenæ fugiant, & adhuc Tellure quietâ,
Non ſe ſtare putent; quia ſpiritus ille lacertis
Inſitus, egeritur paulo cunctantiùs alta
Mente coarctatus, quod non ſecus accidit undas
Æquoris expertis, poſtquam tenuere Penates.
Sed neque ſtat ſubitò Tellus commota, requirens
Paulatim gravitate ſitum, centrumque; per horas,
Perque dies plures tractim concuſſa reſidit.
Vidimus ah nuper ſublimes vidimus arces
Romulidum motas, magno pallore Quirites
Extimuiſſe moræ, cum longè Nurſia ſenſit
Funditus everti. Niſi mox CLEMENTIA SUMMI
PATRIS Opem ferret precibus, non ultima pœnæ
Vindicis UNDECIMO' perimat cenſura vocatos.
Vidi-

Digitized by Google

Vidimus & Tiberis rivis undantibus Urbem
Bis tumuiſſe: dolent à fletibus arua Coloni,
Tecta dolent Cives à motibus. Ira Superbos
Non finit eſſe reos: humili peccata tributo
Corporis, & mentis properant deflere; precantur
Suppliciter veniam; veniam placatus amanter
Annuit Omnipotens; voluitque Timendus haberi.

De Terræ, Mariſque Magnitudine.

HÆc ita ſint. Oculis jam tum luſtrare peregrè
Coſmographon Tabulas, celebres & nomine ſaltem
Terrarum, Mariumque plagas diſtinguere cures;
Sed prius hæc unâ, quantæ ſit molis, & inter
Seſe diſcernas. Delectat opinio mentem.
Inſpice reſpectu Cœli mirabile punctum,
Tercentis ſexagintâ quod partibus ambit
Circulus; inque gradu decies ſex millia paſſuum
Enumeres. Globus hic terras conſtringit, & undas.
Sed veluti facie tenùs amplius eſt Mare terrâ,
Si dubitas terram liquidorum mole minorem,
Cum ſit contento majus, quod continet. Iſthæc
Regula fallit. Habes majores mole canalis,
Qui tenet, humores; & aquis terreſtre redundat
Undique Vas; igitur ſiccis ſupereminet undas
Terra labris, & mole poteſt minor eſſe liquatâ.
Præterea cum ſubter aquas latitabat opacas
Terra, tenebatur. Diviſio facta minores
Reddidit in Terrâ; præruptis auxit abyſſis
Diluvies; natura igitur plus ceſſit Aquarum,
Quam Terræ, quia vita triplex minus hác ad opus, quã

Digitized by Google

Illis indiget: unde Parens Deus addidit Orbi [a]
Formoſas avium ſpecies, & aquatile germen.
Quanta ſit Unda Maris ſummis intellige clivis,
Quos Deus evexit ſcabræ ſub imagine ſphæræ:
Quod ſi planitiem gyri redigatur in unam,
Elatæ repleant partes immane profundum;
Aſcendent undæ, quantum depreſſa jugorum
Culmina deſcendunt, ablatâ Sphæra minorem
Aſperitate globum demonſtratura pateſcet.
Pone ſpecus Terræ, venas metire, cavernas,
Euripos, quibus unda latet: congeſſeris arctum
In nucleum ſiccam, tanquam ſit marmor, aquarum
Culmen erit majus: Diametrica linea Sphæræ,
Circuitûs minor eſt, quam tertia pars: Aqua Terram
Ergo premens medio, majori mole ſuperbit.
Diffiteor litem hanc quiſquam componere poſſit;
Cum duo ſint elementa globo commixta ſub uno.
Quod ſapias, quantis Europa, Aſia, Africa regnis
Dividitur! contra quamvis America reperto
Dimicet Orbe, manens longè tribus æmula Terris.
Noſtra ſuperficies ſolas induſtria luſtrat;
Et ratione putet rerum penetrare medullas,
Cum quæ proſpicimus certò vix novimus extrà?
„ O curas Hominum, ò quantum eſt in rebus inane!
Quod Deus Arcanum docuit, ſecuriùs inquam.

Coſmographia.

Eſt in utroque Polo nobis incognita Tellus,
Cognita Naucleris ſummas tentantibus Oras,

Quam

[a] Geneſ.1.20. *Producant Aquæ reptile Animæ viventis, & volatile ſuper Terram.* 2. Pet.3.5. *Terra de Aqua, & per Aquam conſiſtens Dei Verbo.* Hymn. ad Veſp. fer.v. *Magnæ Deus Potentiæ, qui fertili natos Aqua, partim relinquis Gurgiti, partim levas in Aera.*

Digitized by Google

Quam tamen exortem penitus non hoſpite dicam;
Et ſi frigenti Zonæ non longa celebret
Triſte Parallelis Aſtrorum motibus Omen,
Exequias frugum: verùm lux alma nitentes
Plusquam ſex menſes gelidis communicat arvis:
Nam Solem mediâ plusquam Tellure videmus
Luſtrantem Lymbis umbram protendere cono,
Quo tegit Eclipſi Lunam: ſic æqua diei
Nox medium diſcum poſtremo vertice profert,
Et circumducens Menſes ſine nocte per Arcton
Protrahit; oppoſitum Menſes ſine luce relinquit.
Arcticus Europæ fines determinat undis.
Hinc etiam Neptunus agit glaciale per Æquor
Granduico carpenta ſinu; Rhiphæa ſalutat
Culmina; Corelios viſit; ſinuoſaque flectens
Brachia Norvegos, Danos, Suecosque, Gotosque
Circuit, & duplici Fillandica littora ponto
Munit; Aquis iterum curſum deflectit ab Albis;
Omega dum Moskos latices, & Volga miniſtrat,
Livoniæ fines Novogardia ſpectat euntem,
Et magis interior Lituania: Pruſſia portu
Advocat, & poſtquam Samogyptia legerit Arva,
Viſtula Sarmatico Patrem cratere propinat.
Redditus Oceano Germanas alluit Oras,
Quas Albis, quas Rhenus alit, quas Saxo, Boemus,
Auſtriacus, Moravus, Lotharingius, Helueta replent.
Inde procul Grolland algent, Islandica Thule,
Orcades, Albion, Scotis illuſtris, & Anglis,
Hyberne, & ſparſim laribus patet inſula multis.
Præterit & Belgas, & Gallica regna Brittannis
Obvia, Lugdunenſe ſolum, quod Sequana radit;
Quos rigat & Ligeri Celtas Aquitania, tranſit.
Et Pyrenæis egreſſa Garumna latebris
Cernit in Hiſpanum Neptunia ciſia littus

Digitized by Google

Tendere; Cantabricis excepto finibus octo [a]
Tarracona Plagas illuſtri nomine monſtrat.
Nec mora; feſtinum formoſis Duria ripis
Viſitat, auratam tribuit Tagus ipſe ſaburram;
Et Luſitanos dum reſpicit Ana Penates,
Gadibus Herculeis invitat Bætica nantem.
Ille quidem longo ponens ex ordine primam
In Fortunatis metam, mediterrea curſum
Per Freta direxit. Balearidas urget Iberis
Fluctibus. O iterum Rhodani quam Gallia Lymphis
Narbonenſis Humum fæcundat, amabile regnum
Auſpicor: Allobrogum ſummis ex Alpibus Alpes
Cerne per Italiam totam juga laxa trahentes,
Attollit ſcapulas Pater Apenninus ad auras.
Cerne Padi Fontem, Phaetontis & imbre rigantem
Inſubrium Campos: Ligurum mihi Cyrnus, & Ilva
In Mare Tyrrenum dant Oſtia: forte retardet
Arnus in Hetruſcis, cum non vacet uſque feracem
Viſere Sardiniam? Latio neque Tibris amæno,
Me neque Partenopes teneat Lucania Pæſto.
Sic ait, & magno Tellus percuſſa tridenti
Diſſiluit: Patet inde Pharos ſpeculata Pelorum,
Et Siculos Æthnæ Cyclopas, & alta Carybdis
Guttura: poſt Calabros ubi figit Apulia calcem,
Jonio ſuperum Pelago vocat Adria Ditem.
Samnites, Marſos, Picenos, Semnones, Umbros
Iſtria, Dalmaticis Epirus, & Illiris agris
Hoſpita reſpiciunt contra. Corcyra ſubinde
In Peloponeſum deducit; & Iſthmus Achivis
Cycladas oſtendit Mirtois fluctibus udas:
Et Rodon, & Cypron Libycis obſtare procellis
Carpathii Sporadas: Samon, & Chion Icarus inter
Mer-

---

a *Octo plagas, ideſt Murcia, Valentia, Arragonia, Cathalaunia, Caſtilia, Navarra, Calletia, & Aſturia.*

Digitized by Google

Mergitur; Aſſurgunt Mytilene, Lemnos, & Andros.
O quot in Ægæo paſſim ſerit Inſula Montes!
Pieridumque Chorum Macedûm ſtatione canentem
Nutrit Olympiaco Pharſalica nectare Tellus;
Neptunum occurrens ſubiit Thetis Helleſpontum,
Threiciàque leves luſura Propontide verſus
Heptaphonon reſonare docet per Boſphoron Echo;
Euxinumque ingreſſa fretum Tritona ſub Iſtrum
Expedit: ille celer Dacos locat amne Tibiſco,
Moldavos Transylvanos, duroſque Valachos,
Et prope Bulgariam ſtat Raſcia, Servia Moeſis;
Danubiique caput penetrare intentus, utramque
Pannoniam luſtrat, Dravoque Savoque fluentem;
Norica, Vindelicis, Rhætiſque adjuncta pererrans
Arva, Tubâ reditum ſeptena per Ora triumphat.
Taurica Cymmeriâ Peninſula fauce receſſum
Indicat, & tandem feſſis Mæotida præſtat.
In Tanaim ſtimulantur Equi, ſub Tartara merſi
Europæ fines longis amfractibus explent.
Nunc oculis Aſiæ majores perlege Partes.
Maxima Tartariæ ditio, quam Ruſſia lævo
Inchoat aſpectu, Chirkaſſis, & Petigorskis,
Hyrcanoque Mari Chrimæa tuetur; Imavum
Caucaſon uſque procul Tangut ſpatiatur & Indos.
Et Scythico ſubjecta gelu Borealia calcat
Æquora; Mongolo jungens Oriente Cathajon.
China Scythas longè montanis mœnibus arcet,
Et Sumatrâ Javiſque tenus protenſa Malachi
Crure Philippinas, & Borneon, atque Moluchas,
E regione novi Mundi, centenaque circum
Regna Mari commendat: habet Camboja Sianum;
Gaucinchina Mecon; duplex habet India Gangen,
Quæ Tauri ſublata Jugo, quos Mengala curvat,
Quos Cambaja ſinus, & Perſida cernit, & Ormush,
Qua mare ſe terris Arabum, Suſiſque benignum

Inſi-

Digitized by Google

Inſinuans Babilona ferit, ſitienſque vagari
Protinus Euphratem, & Tigrim compotat; Hydaſpen
Præcipiti torrente luit; quo Media Parthis,
Aſſyriiſque comes ſub Caſpia littora degit.
Quò Meſopotamiæ, Syriæque Armēnia fœdus
Cappadoci, Cilicique ſubit: Nabatæa, valete
Culmina, Phœnicum ſtudiis polluta, valete.
Pamphyliæ, Lyciæ, Phrygiæ, modo Turcica, quondā
Bithynos, Galataſque fovens Natolia præſes
Extremos Aſiæ fines decernit eunti.
Africa ſepta Mari circum conjungitur Iſthmo,
Cui penes Ægyptum blanditur Erythra rubenti
Gutture. Maurus Athlas Libycis dominatur arenis,
Et Pœnis Numidæ propiora Mapalia ponunt.
Syrtibus oppoſitam ſpectat Tripolina Meliten
Barbaries: Barcham dicit Cyrenia Siccam
Marmarica: Ægyptus Nilum Memphitica ſugit,
Et Meroen amplexa locat regione propinquos
Thebaidi Æthiopes: Lunæ de montibus ortus
Nilus Abyſſinos, quos Æquatore calentes
Invenit, Ambanis latè refrigerat undis.
Hinc etiam Nigrum ruptis prodire cavernis,
Et Garamantas aquis refici labentibus ajunt,
Donec in Heſperidas ſua Gorgades oſtia pandat.
Quis verò referat quales decurrat Eremos
Nubia, Sarra, Guber, Biaphar, Medra, Zāpher, Amazen.
Summa legunt Nautæ: ſuperat Gualata Marocchum,
Mox Melli, Guinæa, Benin, Damuth, Manicongon
Zanziber adducunt in Spem, dum carbaſa terris
Obvertant ſuperis: Caphalæ Madagaſcar adhæret,
Et Mozambico. Portus exquirere plures
Diſpliceat, ſicui non barbara lexis obedit.
Orbe novo novitas antiqua vocabula cudit,
Pleraque compertis occaſio Nomina terris
Indidit; Antipodas nobis, & lancibus æquis

Di-

Digitized by Google

Diſtantes, rectam Sphæram ſi norit Orizon,
Ampla ſub Occaſum complectitur Amphytrite;
Quæ ſub utrumque Polum ſuras anguſtior infert
Ventre tumens medio, duplicem diſcriminat Iſtmo
Tellurem; Boreæ concedit Mexicon, Auſtro
Braſilem; jacet has inter, quæ prima reperta eſt
Proxima Jamaicæ, atque Cubæ Quiſqueia crebris
Cincta ſali domibus: ſurſum nova Gallia fuſis
Suſcipit Eſtotilanth finibus: Chilaga Tagillum
Ludit aquis: nova florentes Hiſpania Portus
Fert humeris: Mare Purpureum Caliphornia ſorbet.
Quid plura his? oculos revocat pars altera, cujus
Regna prior tentat, qui nomina fecit utrique.
Tiſnadæ Caribana præeſt: Paguana Maragno
Flumine concludit Chirmos, & Amazonas, ultra
Carnibus humanis Anthropophagis placet uti.
Argento refluis dimanat Acutia rivis.
Et procul hinc ignis terram, regione gigantum
Preſſa Magellani Porthmi traductio findit.
Inde per ingentes opulenta Peruvia tractus
Pacifico fruitur pelago, cui mille viciſſim
Inſulæ adulantur. Guinæa recens Salomonis
Indigetas lateri adſcribit, Viridaria fronti.
Sic Via Navigiis Orbem patet undique circum;
Cœlorum ut motum feſſo temone ſequuti
Comminuat, quam fecit Iter, momenta diei;
Quam ſimul, oppoſito ſi vela tumentia curſu
Pellit in Auroræ periclima Favonius, addunt.

Plantarum Productio, & Natura.

HÆc igitur detecta locis tot machina primùm
Juſſa vireſcentem producere frondibus herbam,
Et ſemen præſtare ſuum, quo germina lectis

Quæ-

Digitized by Google

Quæque perennarent vicibus, nec ſtirpe carerent:
Juſſaque pomiferum Sylvis extendere lignum,
Et generi ſervare ſuo fomenta vigendi,
Ne reparata novâ ſterileſcat in Arbore virtus;
Paruit; & ſubito riſerunt gramina campi,
Ceſpitibus Colles, Olerum diademate valles;
Virgultis Fruticeta nitent, & amæna Viretis
Prata; Nemus Plantis, pubeſcunt frugibus Agri,
Fructibus, & foliis ſaltus, & Floribus Horti:
Nec Calamus Ripæ, nec defuit ulva Paludi.
Quid Cereris cultum Frumenta Novale morantur?
Frigida Triticeâ ſugit de Meſſe Siligo
Humidioris humi glebas, & Oryza paludem;
Far Uligo movet, fæcundant Hordea culmis
Aridioris humi Glebas, Tragos, Irion horrent
Et Zea; quid Milium, quid Avena ſaginat edentes?
Dant lomenta Fabæ, redolent farragine Pultes,
Inque cibi ſpeciem diverſa legumina, Lentes,
Seſama, Piſa, Lobæ, Ciceræ, Cicera, Erva, Phaſeli,
Aſtragali, Viciæ, Siliquiſque Lupina ſonoris.
Hortorumque dapes Raphani, Cæpæ, Allia, Porri,
Aſparagi, Cynaræ, Rapæ, Siſer, Appium, Anethum,
Intubus, Atriplex, Carium, Lactuca, Sinapi,
Peucedanũ, Marathrũ, Chirmum, Melocarpus, Aniſon,
Braſſica, Beta, Rumex, Blitum, Cichoræa, Papaver,
Fraga, Pepo, Cucumis, Coriandra, Cucurbita, Napus;
Quid ſparſum legis? haud omnis fert omnia Tellus.
Hic viridi nexu Topiaria texit Acanthus;
Hic Amaranthus olet, Tuſſes hic curat hibiſcus;
Eſt ibi Carectum filici confine tenaci,
Eſt ibi Serpillum flagrans, ibi forte Pyrethrum;
Mandragoras alibi Cyrce, Medea Cicutas
Nutrit; Echidnæis Aconita infecta ſalivis.
Hinc Urtica riget, vileſcit Corchorus illinc,
Inde Hederæ, Smilax, Staphys invidet Agria Viti;
Inde

Digitized by Google

Inde ſacrum Verbena ſonat, Saliunca Profanum.
Mittit Arabs Aloen: Abſynthia Pontus; Amellum
Gallia, Cyrenæ Laſer; Ida ſalubre Capillis
Dictamnum: Molyn Cyllene, Ruſſia Xyrin,
Anticyra Elleborum, Panacen Othrys, India Nardum,
Hybla Tymum; quid opus fuerit cuſtode Priapo?
Millenas ſpecies ſervant Viridaria, quarum
Nomina vix habeas; quarum virtute potiri
Sudet Anaxagoras; paſcet Grex undique fœnum;
Nec Salices hædis aberunt, agniſque Myricæ;
Nec Suibus Tuber, neque Bobus agreſte Tryphillon.
Ocyma ſponte legent Pecudes, Malvasque medentes,
Hyſſopũ, Rutamque & Menthã, & quæ fugat Angues
Salvia, Bugloſſum, Caſiam, Roremque Marinum.
Quippe Voluptatis Paradiſus in omnia pronus
Germina, quem Dominus plantaverat ante Diei *a*
Tertia ſepta, vices Terræ totius olebat.
Areolis diſtincta nitent Violaria, Calthæ,
Lilia, Narciſi, Clythiæ, Vaccinia, Myrti,
Pæoniæ, ſine ſente Roſæ, ſine cæde Hyacinthi:
Quæ non oſtentent Florum decus Herba, vel Arbor?
Qui non ex ipſis latè ſpatientur odores?
Quæ non deſumat morbis medicamina Pæon?
Quosve gulæ luxus ex his non condiat uſus?
Explicuere comas etiam Pomaria ſummi
Numinis Imperio; ligniſque virentibus eſum
Carpet Adam fructus, Pyra, Mala, Cydonia, Ficus,
Meſpila,Sorba,Nuces,Hypomelidas,Arbuta, Pruna,
Zizipha,cum Cerafis,& Amygdala,cumque Volemis
Perſica; quid cupiat? tantum fatale ſcienti
Ne comedas Pomum. Quid enim ſi diſplicet umbris
Fra-

a Gen. cap. 2. 8. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à Principio in quo poſuit Hominem, quem formaverat &c.*

Digitized by Google

Fraxinus, aut Fagus, non te delectet Oliva,
Aut Baccis Cedrus, aut Laurus formoſa corymbis.
Aut nota Victorum comptæ faſtigia Palmæ?
Si minor eſt Orno virtus, ſit Populus, Alnus,
Ulmus, Acer, Quercus quæſita ſedilia paci.
Robora quid ſpernas? caveas Viburna, Cupreſſos,
Juniperos, Pinos, Calamos: latet anguis in herbis.
Utiliùs Tiliam duro meditabere Buxo.
Et juvat attentos Abies in montibus altis.
Pulcra quidem rerum ſpecies, ſed pulchior omni
Cultus erat ſpecie: Lignum Vitale perennem
Ætati ſpondebat opem, non imbre madebant
Compita, ſed Fluvius paſſim ſata cuncta rigabat,
Quem ſub inacceſſis terræ penetralibus actum
Phiſon, atque Gehon, Tygris, Euphratesque biberunt.
Defuerant Lolium, Tribuli, Lappæque, Rubique,
Et quicquid ſpuriâ culpæ propagine pollet,
Degeneres Segetum morbi, Viteſque labruſcas
Horrebant, Platani Fungos, & Subera Viſcum.
Undique Terra viret, perfectaque Germina profert
Principio: perfecta Dei ſunt munera: poſthac
Edidicit vitare Genus, ſpeciemque Nepotum.
Quin etiam minimè fuerit ſpeculantibus abs re,
Sub pelago Segetes aliis, arbuſtaque formis
Vivere; nam ludunt undis Zoophyta, Phycos,
Alga, quibus ſimiles ſubtus ſiylveſcere plantas
Curalium explorat ramis, & ſpongia fibris;
An non par herbis imo ſub fonte vireſcit
Muſcus, & in puteis Polythrix, & Vimina flumen
Nutrit? ubique Dei Tellus promptiſſima nutu
Concepit, peperit, fætûs emittit, & auget,
Sementem repetit, nec non alimenta miniſtrat
Omnibus, ille Maris, vel humi ſit, & Aëris hoſpes,
Quærit ali; ſed Aquis non eſt vis ultima ſtirpes
Seminibus lactare ſuis, Plantisque favere.

In

Digitized by Google

In Generationibus Miſtorum nihil creatum ſpecificè perire.

QUin quoque concedas, ex his quæ condita primùm
Narrantur nihil amitti, ſi quando latenter
Semen alant: alias eadem cur inde reſurgunt?
Deperdi his neſcit formas natura, nec iſtis
Subjectum commune facit: commune putatur
Quod ratione genus conceptum dicit eumdem
Pluribus apprehenſum. Totum mutatur, & illud
Gignitur, hoc aliud cum ſit: corrumpitur illud;
Non Partes, non Materies, non Forma, ſed ipſum
Mutatur Totum; tantum ſecreta creatis
Contextura novum molitur rebus amictum,
Donec ab hac unâ ceſſent conſortia Formâ,
Donec, & alterius fiat Manatio Formæ,
Qua ſibi conſtitui Miſtum lætetur Origo.

Modus loquendi non approbandus circa Formam Subſtantialem, quod annihiletur, quod ſit per ſe mobilis & ea præſtet, tanquam ſit Cauſa Efficiens: & hujusmodi.

QUandoquidem, quid tot Formas meditantur abire
In nihilum? neque pro captu vulgaria dicant?
Hæc aliquid veri dicunt, ſed prava loquendi
Conditio proprio Totum depauperat Actu.
Forma dat eſſe rei. Genitor quid præſtat eidem?
Quid Quantum? quid Quale facit? quid cætera Toti

Cau-

Cauſarum tribuunt? Primum deducit in Actum
Materiem, cujus latebris deducta, ſiniuque
Conſurgit; differre facit, ſpeciemque decoram
Conſtituit: cunctas paſſiva Potentia Formas
Appetit; ingluvie quadam ſcortatur, ut inſit
Per ſe: da patiens informe; quid appetit? omnes
Formarum ſpecies. quid ſe determinet uni?
Sed quia quam recipit Formam neſcitur, utrum ne
Tangat Agens, nexuque liget, nihil illa ſubegit *a*
Senſibus: hæc unum, quod ſit ſubſtantia per ſe
Mobilis. Adveniunt Toti, quæ Partis inhorret
Nobilitas. Formam ſolâ cape mente Stagiræ.

An implicet Elementa eſſe in Miſtis perfectis, per ſuas Formas perfectibiles, & elevabiles à Formâ Miſti.

Si certè dabitur Rerum Corruptio quædam,
Qua commutetur ſubſtantia Corporis actu,
Protinus & Genitum ſubjecto fiat eodem;
Hoc ut tale ſit ex non tali; nec varietur
Suppoſitum; Formæque novæ ſit terminus idem,
Dum veterem Formam penitus Privatio delet;
Vicit Ariſtoteles. Hominis Generatio poſcens
Immortalem Animam ſuperâ virtute creari,
Taliter efficitur, quamquam præceſſerit ipſi
Corporis Organici ſeries, reparandaque duret
Per vegetas vires. Sed ſi Vegetatio primùm,
Si quoque præcedit ſenſatio, quomodo dicant

Cor-

a *Nulla Forma Subſtantialis eſt per ſe ſenſibilis, quia quod quid eſt, eſt Objectum Intellectus*. 3. de An. Tex. 26.

Digitized by Google

Corrumpi quicquid remanet formaliter actu
Poſteriore vigens? Ita ſit, de nomine tantum
Quæſtio ne fiat: latè corruptio ſi ſit
Quicquid non retinet formaliter ipſa prioris
Cuncta modi; per eam Generatio tota ſequatur
In rem perfectam: ſic materialiter inſunt
In miſtis Elementa ſuis. Si perficit, & non
Implicat aſſumi, quod Forma potentior ipſas
Tota ſubalternas pervadat ab ordine Formas,
Et ſimilis ſimiles inveſtit, & elevat actu;
Quid nocet in Miſtis ſimplum formaliter eſſe?
Quid nocet eſſe ſimul totum vegetabile, corpus,
Et ratione potens? Partes, totumque manenter
Eſſe quod hoc unum? reliquis Animalibus ortus
Perſimilis ſuadet melius perpendere; nunc eſt
Hoc Animal, quod non fuerat priùs immediatè.
Sed tamen, ut quidam Quantum dixere coævum
Materiæ, & Formas per ſingula membra reponunt,
Atque alii propriis Elementa manentia formis
Infra Miſta locant, dubium fecere, quod inſtans
Terminus eſt motus, & ſic generatio fiat, a
Non contingenter, quia ſic Natura requirit.
Pone creata mihi primo diſtincta tenore,
Mox uti ratione velis; ita differe, quantum
Sis alibi ſenſu dives. Quid, quomodo, longas
Plura per ambages Peripatus diſputat; odit
Alma Fides, brevibus contenta ſileſcere dictis.
Ipſe Deus dixit: Fiat Cœlum, Arida, Sudum,
Gurges Aquarum, Æther; & ſimplex Corpus in ipsâ
Materiâ Formam comitem, nexamque maritat.

 Nec

a *Si implicaret Forma Elementorum ne fieret Miſtum unum per ſe; eodem modo implicaret ſententia illorum, qui ponunt in Materia formam Corporeitatis, aut Formas Partiales in Animalibus. Ut docet* D.Thom. 1.par. quæſt.66. Art.2.

Digitized by Google

Nec perit in tanto quicquam mutabile Mundo,
Sed variat, faciemque novat miſtura priorum,
Primaque diſtinctum retinent Elementa leporem,
Ut nova miſturâ dimanet Forma per inſtans,
Ut nova perficiat Miſtorum Forma jugatum,
Perpetuâ virtute Dei; ſic indidit Auctor,
Ne pereat quicquam; non poſſumus addere quicquam
Aut auferre datis: abjit quod motibus, ipſum *a*
Conditor inſtaurat. Species eſt integra rerum.
  Nam ſi ſint aliud poſtquam ſint texta minutis
Particulis Miſti, miſtique ſuperſtite Formâ
Perficiente novum, quid nam compage ſolutâ
Sunt eadem? Veſtam Chymicis vexate caminis *b*
Empyrici vexate Thetin, vexate Cyclopas;
Simpliciumque necem nobis oſtendite rerum.

Ordo Generationum.

IN rerum ſerie ſpecioſa gradatio ſummi
Verticis ex imo perfectum culmen adumbrat.
Ex imperfecto quantum Natura colorat,
Tantum paulatim perfectio vergit in altum,
Donec in eximii ſpeciem pervenerit entis.
Non valet humanæ diſtinguere mentis acumen
Quæ confuſa videt, ſed Mens Divina per omnes
Eſſe Gradus gaudens, imitabilitate propinquat;
Seu potiùs magis, atque minus ſibi cuncta propinquãt.
Non aliter Generabilium proceſſus, & ordo
Per motûs Elementorum fit; namque gradatim,

Sin-

a Eccl. 3. 14.
b *Veſtam pro Igne. Thetin pro Aqua, Cyclopas pro Metallis intellige.*

Digitized by Google

Singula gignendis Miſtis Elementa fluentes
Contribuunt modulos. Lux à fulgentibus Aſtris,
Inque diem, noctemque parit diviſa nitores
Diſſimiles, ignemque ſuo fulgore calentem
Ejaculans, aperit cunctos feſtina meatus,
Temperat aërium frigus, mucoris aquoſi
Phlegmata deſpumat; Terræ pregnantis, & Undæ
Viſcera fæcundat, tanquam Mas, excoquit æſtu
Parturientis humi gremium; diſſeminat ignes
Excæcata ſuos; quoniam radiantis Olympi
Motûs obliquant Aër, Aqua, Terra recurſu.
Aëris algentis vis diviſiva, nitentem
Dum recipit lucem, gelidiſque ſub artubus ignem,
Diſgregat humentes unà ſimul igne liquores,
Et flammæ morsûs rigidâ contundit edaces
Temperie: medium reddit mixtura duorum:
Frigore namque calor, frigusque calore tepeſcit.
Mollis Aquæ virtus, quæ diſgregat Ignis, & Aër,
Congregat; hamato retinet miſcentia viſco,
Et luteâ lentas miſturæ compede partes
Firmat; inhæret enim mollita per oſcula glebis,
Concubituque locos arentis pulveris auget.
Sic Elementorum maſſam ferruminat omnis
Miſtio; miſcilium Matrix eſt Terra, receptis
Cœli confluviis, igni dum Lympha rebullit,
Aëre ſarrit humum, liras fermentat agreſtes,
Compertumque rigat genituræ ſemen alendo.
Denique Terra Dei juſſu producere compos,
Et generabilium ſubjectum, cætera ſiſtit
Principiis Elementa ſuis, nam viſcere flammas
Obruit, & proprium refovet ſpiramine frigus,
Ariditate Soli fluvios bibit, aëre turget,
Aſtrorum vicibus paret, bene culta coloni
Conſiliis, nutrit pigro ſua ſemina motu,
Quæque cibus fuerant, herbas facit eſſe virentes.

De Vegetatione Plantarum.

His ita Principiis vegetos Natura maniplos,
Et genus Arboreum, nimirum ſemine certo
Procreat; & ſpurios fingit quandoque Stolones,
Si confuſa ſuis turbentur Spermata nodis.
Cætera: millenas (eſto res integra) normas
Semina ſtructuris ſervant, internaque totum
Viſcera Prolis habent Idolum; quas niſi ſummi
Numinis imponat leges ab origine pactum;
Neſciat effectus Cybele concedere tales.
Ac velut Artifices, modulis, & cuſa ſigillo
Cælant vaſa; refert bullas Emblema fabriles;
Quodque fuit vellus pexis in ſtamina floccis
Netur, & in varias diſtinguunt Licia telas;
Sic non incaſſum ſemen diverſa requirit
Progenies, aliter primâ propagine cretum;
Folliculis illud, tenui vel cortice nympham
Protegit, utriculis aliud muſcaria jactat,
Et glandem glumis, & frit convolvit ariſtis.
Spongiolaſque ſtriis, & venas nectit ocellis:
Hoc bulbos radice tegit, vel carnea pulpis
Grana fovet, foliis cæpas, lanugine pappos,
Lemniſcis thallos, nucleoſque putamine veſtit.
Temperies, artus, facies non omnibus una eſt.
Hinc alimenta coquunt, egeſtaque partibus aptant
Ventriculi, quædam thecis induta foventur,
Quædam membranis, rumpos ſine ſemine quædam
Traducunt; pereant, niſi ſint conformia, fætus.
Et quid abortivam Sobolem quædã inſita perdant,
Ni quia lacte carent, plantam quo nutriat arbor
Conveniente novam? Nutricis munia terræ
Cum gerat, haud plantis eſt omnis idonea tellus

Om-

Digitized by Google

Omnibus. Hæc habili ſemen ſuſceperit alvo,
Terra per irriguam, lentoque calore movendam
Nubit Aquam: fugit ſemen, collecta papillis
Nutrimenta: tumet; caulem protendit, & alas;
Figit humi barbas, gemmâ turgente comatum
Culmen agit, calamum, folia, internodia, thyrſum,
Articulos, capitella, cutim, ſub caudice ramos,
Termitibus calycem, fructum; nova ſemina tandem
Maturat, ſolidat mucoſo glutine totum.
Sorbet enim ſingillatim quod proficit in ſe,
Ut quoſcumque ſuis ſufflaminet artubus artus;
Particulaſque cibi, quas naturaliter eſu
Diſcupit, in proprias mirâ locat indole ſedes.
Vivum creſcit opus lactentibus undique fibris,
Lacteoliſque poris diſponit in organa ſuccos;
Et locat attractu quos appetit hic, vel ibi eſſe.
Quas alimentorum partes congeſſit, eaſdem
Texuit, & nodis duras, molleſque medullis,
Excrementitias libro, truncoque vigentes,
Inſeruit, miſtim diſcreto tempore nexas,
Sumpſit in harmoniam, quam poſſis dicere Formam,
Si quod habet ſemen virtutis perficit actus.

Stirpium Generationem non eſſe Inſtantaneam; ſed mediis Alterationibus.

NEc tibi ſubrepat fieri Genitura per iſtans:
Omnia Tempus habent, naſcendi tempus aliùs [a]
Morte rei ſubitò non eſt; hoc incipit, illud
Deſinit; extremis ambobus terminus unum
Momentum præbet: verùm mutatio quanti

[a] Eccl. 3. *Omnia Tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub Cælo: Tempus naſcendi, & Tempus moriendi &c.*

De ſpatio in ſpatium motum cognoſcit, & iſto
Gignit, ubi aptarit minimas per ſemina partes,
Fruſtaque ſimplicium tali molimine, quali
Conſenſu moveat; velut ingenioſa per artem
Tympana conveniunt; quamvis Natura minutis
Nexibus excedit, quam non imitetur Arachne.
Nam quod corporeum eſt, metitur tempore: tempus
Vis finita petit. Solum inſtantanea factu,
Qui creat, & convertit, habent virtute potentem
Authorem immensâ, cui planè Mundus obedit,
Nec quicquam obluctatur ei, cui ſumma poteſtas.
Nonne patet Lyppis paulatim creſcere Plantas,
Et jugi motu ſenſim ſua membra moveri,
Vel quoque deficiant, & in arida ligna reſultent?
Ocyùs, aut pigriùs, quæ ſic naſcuntur, oportet
Omnia ſub motum Cœli mutanda reſolvi
In ſuamet puris exordia condita rebus.
Quod fuit, eſt ipſum, quod dices eſſe futurum, a
Quod factum eſt, ipſum quod protinus eſt faciendum:
Nil ſub Sole novum; nec quiſquam dicere poſſit;
Ecce recens hoc eſt; fuerat prius hoc Elementum;
De ſpecie Genitura ſuâ venit, atque ſubinde
Præterit, & numero variabilis, atque figurâ
Texit opus: nihil aufertur, nihil additur ex his,
Quæ fecit Deus, & remanent Elementa viciſſim.

Cum

---

a Eccl. 1. 10. *Quid eſt quod fuit? ipſum quod futurum eſt. Quid eſt, quod factum eſt? ipſum, quod faciendum eſt: nihil ſub Sole novum, nec valet quiſquam dicere, ecce hoc recens eſt: jam enim præceſſit in Sæculis, quæ fuerunt ante nos. Generatio præterit, & Generatio advenit: Terra autem in Æternum ſtat:* & cap. 3. 14. *Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perſeverant in perpetuum. Non poſſumus ei quicquam addere, nec auferre.*

Digitized by Google

Cum ſimplex igitur ſemper natura ſuperſtes *a*
Prodeat, in commiſſuris cur eſſe putetur
Altera? quod ſenſus fugiat? ſic dixeris eſſe
Pigmentis aliud minium, pictaſque tabellas
Mixta coloratis mutata referre figuris
Dixeris, & lanas fullonis ab arte bibentes
Herbarum ſuccos lanarum amittere nomen.
Quis putet? arridet Proteo: narretur anilis
Fabula. Quod nunc eſt, mox non erit: & quod non eſt,
Mox erit à Mixto ſimplex. O nobile dictu!
Nunc erat, & non eſt: portentaque tanta miſellum
Efficit hoc inſtans: ſubjectum qualia pridem
Tempore diſponunt. Dicas ò Pallade dignum!
An ſine ſe quales ſpiret ſubſtantia flatus?
Quove Elementorum minimis in partibus angi
Simplicitas inſtrumento puriſſima poſſit,
Ut ſeſe linquat? vel quodnam prævalet inter
Illa, potens aliud propriis invertere formis?
Ignis agens alio videatur acutior omni;
Et tamen in Miſtis implexum monſtrat abundè
Uſtio: tu referas, quanam conceperit illum
Sylva; quibus penitus mutatum digerat undis
Foſſilium Carbo, Sulphur, Pinguedo, Bitumen?
Nam mihi compertum eſt Mixtis Elementa minutas
Particulas inferre, ſuis complexibus aptas,
Sementis virtute: ſolum lac exprimit udis
Uberibus: Cœli lucem conſpiſſat in ipſis
Motus, & à variis Terræ, Maris, Aëris, Ignis
Simplicibus compoſta vigent; reſolutaque rurſum
Quicquid habent, reddunt alio ſpectabile viſu.

a Eccl. 3. 20. *Quæ fecit Deus, ut timeatur, quæ futura ſunt, jam fuerunt; & Deus inſtaurat, quod abiit. Omnia pergunt ad unum locum. De Terra facta ſunt, & in Terram pariter revertuntur.*

Sicut Compoſita creari propriè, ita generari, & corrumpi, & alterari; non autem Partes ipſorum.

Re verâ totum corrumpitur & generatur
Compoſitum, certè non à ſe, ſicut idipſum
Supremâ dici debet virtute creatum.
Nam Deus intendit Totum Finale ſuorum
Factilium: Totum creat, effert, efficit, ornat,
Convertit, conſervat, agit ſapienter, & omnes
Exhibet una ſimul Divina Creatio partes.
Non ſecus efficiens Primæ minor æmula Cauſæ
Tendit in Effectum concurſu adjuta ſuperno,
Dumque ex parte movet, totum movet, alterat, urget,
Unaque cum motu Totum mutatio tangit,
Uſque ad Materiæ reſoluta ligamina primæ.
Nam ſi vera procul dubio generatio Totum
Transformat, jugi cæpit prius actio tractu;
Qua niſi dividitur conceptus terminus à quo,
Vel niſi dividitur conceptus terminus ad quem,
Tota feret ratio motum, quem terminat inſtans.
Tum quia ſubjectum quæ deficientia tundit,
Cum nequeat vires obvertere ſemper Agentis,
Languet in extremum, donec paſſiva novatum
Momento recipit Geniti formaliter actum.
Hæc virtus in Agente datur ſuperante minores
Subjecti vires, introducente minutos
Influxus Elementorum, motuque ruentes
Miſcibiles formas; medias miſtura reponit;
Aſſimilat paſſum virtus activa Parenti,
Nec mora, ſubjectum tantis conatibus impar,
Corruptum moriens aliud manante fit actu.

Digitized by Google

Si Deus ex nihilo totum producit, & Artes
Pluribus ex totis compacta fabrilia conſtant,
Ex toto totum tentat Natura moveri,
Sed minor ut totum de toto transferat, inſtat
Uno corrupto per contingentia gigni
Tempore; ſed Genitum corrupti terminat Inſtans.
Sic Athomum capias, non immutabile totum
Hoc erit; immenſis alioquin viribus illam
Credideris, mentique parem, niſi poſſit ab actu
Mutari, quà parte tenus ſubſtantia fertur.
Si Virtute Dei mutarier omnia poſſunt,
Naturæ virtute nihil mutabile dices?
Hanc Athomum Cæli Virtus, Elementa, Parentes,
Semina non poterunt totis invertere nervis?
Si Deus hoc voluit, taceant monumenta ſcholarum,
Naturæque vices: taceant rationis agones,
Sed mutabilitas rerum immutabile Numen
Monſtrat, & hoc ipſum quod gignitur eſſe recenter:
O ubi Tellurem lymphæ tenuere ſepultam
Quid tibi deſignent ALBANI NOMINIS HEROS?
Nulla virûm virtus, quos non prius Arida fluxu
Gurgitis obduret. Conſtans eſt inclyta Virtus,
Inſtabiles inter fluctus immota ſupinam
Motibus objectat faciem cæleſtibus; aret
Difficili Vitæ curſu; verùm aucta supernè
Seminibus Charitos, quamvis latus omne per undas
Vapulet, ac refluis agitetur in omnia curis;
Non fugit imperium Domini, fœcundior edit
Perpetui ſegetes meriti, quo preſſiùs omnes
Adverſæ patitur ſortis decocta tumultus.
Nunc age ſi nobis Mundi Lux Tertia monſtrat
Terreſtres virtutis opes, Cæleſtia Quartam
Dona Diem prodant: ingens iter otia ſpernit.

OPUS

Digitized by Google

OPUS QUARTÆ DIEI.

Textus.

14 *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in
Firmamento Cœli, & dividant Diem, ac
Noctem, & ſint in ſigna, & Tempora, &
Dies, & Annos.* 15 *Ut luceant in Firma-
mento Cœli, & illuminent Terram. Et fa-
ctum eſt ita.* 16 *Fecitque Deus duo Lumi-
naria magna; Luminare majus, ut præeſſet
Diei; & Luminare minus, ut præeſſet No-
cti; & Stellas.* 17 *Et poſuit eas in Firma-
mento Cœli, ut lucerent ſuper Terram.*
18 *Et præeſſent Diei, ac Nocti, & divide-
rent Lucem, ac Tenebras. Et vidit Deus,
quod eſſet bonum.* 19 *Et factum eſt Veſpere,
& Manc Dies Quartus.* Geneſ. cap. 1,

Stellarum Productio, & Locatio.

Viderat Omnipotens, quod fecerat, eſſe decorum:
Quarta Dies aderat. Cęlos ornare Planetis,
Syderibuſque parat: factum eſt ita; collocat Aſtra

In

In Firmamento Cœli; poſt Aſtra Planetas.
Tum quoque diſtribuit Stellis, quem fecerat Ignem,
Sed dedit ut Lucis Princeps delator in Annos
Sol gerat Imperium; Noctis Regina nitentis
Luna ſit in menſes, alternis tempora ſignent.
Cætera Stellarum ceſſit ſplendeſcere terris
Noctes, atque Dies; & Noctibus, atque Diebus
Ipſa præeſſe dedit; lucem, tenebraſque potenti
Dividere influxu, variiſque inſiſtere Formis.
Ne ſit inutiliter motus, Lux inclyta, moles
Stellarum, variuſque color, variique receſſus,
Ortus, Occaſus, Aſpectus, Culmen, & Imum;
Aligeris demandat opus, menteſque regentes
Non fugit edictum primi Motoris ab Ævo.
Motibus aſſiſtunt; nec enim tam provida rerum
Congeries, Ordo, Finis ſine mente moveret
Exanimes orbes; neque cælica forma perennes
Incuſtoditis ageret curſoribus Annos.
Nam quamquam Formæ ſpecialia munia præſtent
Sponte ſuâ; tamen ut finem collimet in unum
Ipſarum ſeries, caſu ne miſſa feratur,
Mente regenda fuit: poterat Mens unica, per ſe
Suffeciſſe vices, cauſis non uſa ſecundis.
Sed benè Cœlorum virtutes indidit Aſtris,
Ut per corporeos immaterialia Cœlos
Caſtra Viri penetrent, habeantque ad ſumma gradatim
Acceſſum. Quænam verò ſit dedita Stellis
Materies; non una quidem, quam Terra popoſcit;
Aut Aër; datur Ignis ibi, datur Unda procellis
Æquoreis diviſa, datur ſubtilior Aër
Tranſiliens proprias metas, ubi libera motu
Sit via; ſed ſicut tellus non tranſit in undam,
Ex unda nunquam fiunt incendia: ſervant
Materias Elementa ſuas; ita Stella profectò
Differt à Stellâ, ut differt à Carne Volucrum

Et

Digitized by Google

Et Pecorum Caro noſtra. Vides à Sole Planetas [a]
Mercurium à Luna, quanto diſcrimine diſtent,
Ab Jove Saturnum, Veneremque à Marte: quid ergo
Non ſpecie diſtent, ſi mutua lumina confers,
Et motum, quibus arguimus diſcrimina rerum?
Si bene perpendas, ſpecie differre videbis,
Materiemque ſuam tribues cuicumque Planetæ.
At Firmamenti lucentia Sydera tanquam
In Tabulis nodos, motûs æquabilis ordo
Terrigenis infert eadem: Lux denſius hujus
Partis opus, rarum magis illius eſſe probabit.
Sunt tamen omnino ſpeciè diverſa Planetis.
Sed dices, hoc Forma facit: Cœleſtibus una eſt
Materies. Alia eſt Terreſtribus una. Cachinnos
Democritus teneat, tecnis non ludat Ulyſſes.
Judicium riſu, ſententia fraude rebellat.
Namque negativè de ſe concepta perennis
Materies non una poteſt, non eſſe duobus
Altera Corporibus; quoniam ſine Corpore non eſt;
Et differre facit forn æ Genus: ergo ſuapte
Natura cum non ſit, non eſt Una, ſed Unum
Compoſitum dici debet; non altera; differt
Compoſitum Formâ. Sed cum quoque non ſit in omni
Com-

---

a 1. Cor. 15. 39 *Non omnis Caro, eadem Caro: ſed alia quidem Hominum, alia vero Pecorum, alia Volucrum, alia autem Piſcium. & Corpora Cæleſtia, & Corpora Terreſtria; ſed alia quidem Cæleſtium Gloria, alia autem Terreſtrium. Alia Claritas Solis, alia Claritas Lunæ, & alia Claritas Stellarum. Stella enim à Stella differt in clarirate.* Et S. Thom. 1. quæſt 67. art. 3. ait. *Lux eſt qualitas activa conſequens formam ſubſtantialem Solis, vel cujuſcumque alterius corporis à ſe lucentis, ſi aliquod aliud tale eſt. Cujus ſignum eſt, quod radii diverſarum Stellarum habent diverſos effectus ſecundum diverſam Naturam Corporum.*

Digitized by Google

Compoſito menſura eadem; ſignata creatæ
Materiæ ratio differt totius ab ortu.
Cum ſua Forma ſuæ ſit condita materiei
Simplicium nunquam primum ſciſſura ligamen,
Ut dictum eſt, quare varias exordia rerum
Prima ferunt ſpecies? ſpecies quoque prima ſequuntur
Omnia diverſas, quæ ſunt in rebus, & ipſis
Seminibus; ſi forma igitur diverſa videtur,
Materies quoque diverſa eſt, diverſaque moles,
Diverſum Quale eſt, diverſa Relatio; quicquid
Hoc habet, eſt Unum. reliquis deſciſcere natum.
Quid tibi multiplicas Unum conceptibus aptum
Diſtingui? Natura negat; capis hanc Elementi
Partem? ſume Soli fruſtrum, vel ſegmen Aquai,
Hoccine credideris mutari poſſe ſub illud,
Parque Soli fruſtrum, vel Aquai? tranſitus inter
Hæc paria in facilem ſimilis propenſio Formam,
Quò magis evadet? non vis concedere? quare
Concedis fieri quod non eſt hoc Elementum,
Ut poſſis ibi materiam diſpeſcere primam?
Sic igitur Stellas Cœlis, ipſoſque Planetas
Materiâ, & Formâ varios concede creatos,
Ne ſit in hoc illud; diſtinguis ab Aëre Flammas,
Terram ab Aqua ſpecie? numero quid differat uno
Sol, & Luna, Venus, Mars, & Saturnus & Hermes,
Jupiter, & Fixæ? Cœli variatio tanta
Si facit ad numerum, vanum eſt diſtinguere plures
Inferiùs ſpecies, minor eſt ubi portio Mundi.

Cœlos, & Stellas non eſſe Naturâ Inſolubiles.

At quamvis rerum ſpecies ab origine primas
Incorruptibiles habeat ſucceſſibus ordo,

Natu-

Digitized by Google

Naturâ tamen, & numero mutabile corpus
Omne puta, quando ſit agens, & motibus illud
Immutare queat; quoniam ſi tempore primo
Conditor octavam firmavit ab æthere ſphæram,
Et Solem, & Lunam, & Stellas, & protulit Undis
Squamigerum Pecus, & Volucrum, terrâque virentes
Plantarum Soboles, & Bruta, & Plaſma Virorum;
Quid dubitas mundi finem? veteraſcet, & igni
Machina ſolvetur, Stellæ, Cœlique peribunt,
Tabeſcent Elementa focis, mutabitur Orbis,
Atque novos Cœlos, Terramque novã expectamus *a*
Sed quia Divino conſiſtunt omnia nutu
In fines producta ſuos; locus infimus omnes
Terra vices patitur; corrumpitur, & generatur
Hic unumquodque, hic fœces ex Orbe reſidunt
Quolibet, in mediâ ſurſum regione frequentat
Miſtio confuſas, imperfectaſque figuras.
Et quo ſimplicior motus ſublimè rotatur,
Perfectis locus ille minus paret genituris.
Quis putet in Stellis herbas, Animalia, miſtum
Foſſile? ſi fluido quicquam ſit ab æthere, lumen
Reddat: in igne ferunt ſalamandras vivere; prunas
Læthifero potius dicas extinguere fœtu.
Cætera quò ſurſum ſubtilior aura ſub Aſtris
Panditur, & ſpatiis vicinior ora ſupernis
Eminet à motu puriſſima ſimplice, valdè
Præcipiti, ſunt cuncta procul putredine; motus
Fervidus influxum concinnat, & impedit omnes

In

a Apoſt. ad Hebræ. 1. 11. ex Pſal. 101. 27. *Ipſi* (*Cœli*) *peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* Et Petrus 2. cap. 3., *quod Cœli ardentes ſolventur, & Elementa Ignis ardore tabeſcent; novos vero Cœlos, & novam Terram, ſecundum promiſſa ipſius expectamus.*

Digitized by Google

In fluidis corruptelas. At Sydera firmo
Corpore denſantur, diverſa luce refulgent:
Et cum deſit agens, quonam proſcindet aratro
Ruſticus, aut ſcalpro tentet cælator aheno?
Hæc mundi moles pro fine creata Virorum,
Exigit à Cœlis activa negotia motûs
Lucis, & influxûs, in terris exigit ortus,
Interituſque; igitur quamvis natura ſit omni
Parte ſolubilium; totis tamen integra formis,
Undique conſiſtit; partes præ mole minutas
Actio commutat: totum delatio motûs,
Temporis, atque ſitûs in mundi ſæcula transfert.

Stellarum Natura, & Numerus.

STellas eſſe globos ingenti mole creatos
Non ſecus ac terram, ſcabris, denſiſque figuris,
Et numero plures, quam quis comprehendere poſſit, *a*
Et ſpecie varias, quam quis deducere poſſit,
Eſt exploratum: Phaſibus nam Luna ſtatutis
Diverſos montes oculis objectat, & antra;
Et minus Eclipſi lucens, oſtendit opacum
Corpus, & à maculis ſimiles non nectere partes.
Cornua dum reparat, videas turgere globoſo
Corpore, falcatam vultûs oſtendere ſerram,
Libratis variare ſinus aſpectibus, orbem
Gibboſum, ſcrobibus, ſcopulis, nebuliſq; refertum. *b*
Viſa Teleſcopiis ſimiles à Sole figuras
Fert Cytheræa Venus; ſic & qui lumine Stilbon *c*
Dici-

a Geneſ. 15. 5. *Suſpice Cœlum, & numera Stellas ſi potes.*
b *Vide* Ricciolum in Almegeſto lib. 4. tom. 1. cap. 7.
c Cic. 2. de Nat. Deorum, Mercurii Stella, quæ *Stilbon* appelatur à Græcis.

Digitized by Google

Dicitur à Græcis, bifidus, lunatus, hiulcus
Apparet; Sed Sole minus ſua chaſmata monſtrat.
Mars quoque cum macula medium fuſcante nitorem,
Jupiter & Zonas viſus præcingere, motu
Diſſociare, duos Saturnus habere Sodales,
Et circa proprium centrum ſubmota rotundis
Corpora projectant gyris ſpectabile dorſum,
Ut poſſis ſcabras telluris imagine Stellas
Dicere, ſed varias, magna vertigine motas.
Da mihi Scipiadas vectos in Sydere, terram
Contemplaturos, qualem vidiſſe putabis.
Par ratio cunctis eſt molibus apparendi:
Una vices variat diſtantia: quodque videtur
Exiguum lumen; lymbo telluris, & umbrâ
Collatum, motusque mora, mentisque reflexu
Judicat Aſtronomus permagnum. Sydera lucent
Per ſe quæque parum; quamquam ſint Æthere plena,
Quo nitidam faciem fucant, tepidumque calorem.
Sed Sol majorem Lucem communicat illis
Et terræ, veluti primus director, & actor
Luminis. Hinc animam radiis halare profundis [a]
Quælibet Aſtra queunt, tenuemque vibrare citatis
Motibus influxum; liquidumque per Æthera miſcent
Inferiora ſuo, quem per ſecreta vaporant
Flamina, ſuffitu: propter quod mixta fruuntur
Innu-

---

[a] *Stellæ influunt, non ſolum effectivè per motum; ſed etiam transmittendo lucem ſuper Terram; ideo in Textu dicitur, ut lucerent ſuper Terram: nec deſunt qui putent Ariſtotilem illud denotaſſe in* 2. de Gen. Anil. cap. 3. *cum dixit Spiritum ſeminis proportioni reſpondere Elemento Stellarum ut. Proclus, Plutarchus, Lydus, Plethon, & ſimiles* apud Piccol. lib. de Cęlo cap. 5.. *Hanc opinionem* S. Thom. opuſc. 10. art. 34. & 35. *putat falſam propter Ariſtotelis principia ponentis Cœlos incorruptibiles; non tamen periculoſam, nec contra Fidem.*

Digitized by Google

Innumerabilium nexu cuſtode modorum.
Hoc niſi ſit, totidem cur ceſſimus otia Stellis?
O quæ Cœlorum videas ſpectacula paſſim
Inſigni Galilæe tubo? quibus Optica circis
Ingenium docuit vitreas effingere lentes,
Ut ſua centuplicet diſtans objecta videndum?
Tu mihi teſtis eris, quæ tutiùs aſſero Cœlis
Eſſe; viam Lactis, duce te perſpeximus Aſtris
Exiguis, crebriſque ſatam candeſcere; fulget
Confuſim radiis Stellarum nubila fractis
Congeries; duce te plures errare Planetas,
Hoc eſt Mediceis inſignia didita ſphæris,
Et caligantes maculas in Sole vagari
Vidimus, ac igni miſtos afflare caminos.
Nec plura his temerè molimur dicere; quanquam
Plura latent: verùm quia non ibi ſemina conſtant
Indita, texendis quæ ſint moderantia mixtis,
Quis Tripodas Phœbo præſtet? quem fabula fallat?
Forte Cometarum Corpus ſublimia Terræ
Tranſcendens Elementa, dabunt ex Æthere Stellæ,
Quod via candidior peperit plerumque; ſed infra
Fuſiùs hæc tracto. Reliquum præſentiat Augur.

Sphæræ Mundi Deſcriptio.

SYdera fixa pari motu conſtanter in orbem
Cardinibus Mundi binis innixa feruntur.
Hinc loca Terrigenis varius decernit Horizon
(Terminus eſt oculi terrâ ſpectantis ab imâ)
Quo variè Cœli Stellas contingit oriri.
Sed per utrumque Polum ſi vertice circulus æquas
Linquat Horizonti partes, ſit ſemidiei
Meta, ferens capiti Zenith, contraria Nadir.
At quæ Solis iter mortalibus efficit annum

Digitized by Google

Tendit in obliquos calles Ecliptica, latum
Zodiacum tribuens cunctis ambire Planetis.
Tres & viginti paulò plus orbita Solis
Æquatore gradus deflectit; & hic ubi limen
Æquè Aries, & Libra ſecat, nox æqua diei
Provenit: hic punctis uno quadrante remotis
(Nonaginta Gradus hinc, atque hinc illa recedunt
Culmina ſegmento) Cancer, Caper; æſtus, & algor
Solſtitium celebrant: Boreas Apogæon, & augem;
Auſter in oppoſitis Perigæon ducit, & imum.
Hinc duo ſe rectâ cruciant, Sphæramque per omnem
Decuſſant Cyclos; & Circulus ille Polorum
Sector, & æquiparans noctem, velut alter inheræns
Solſtitiis, ſunt quos Græci dixere Coluros.
Quos etiam Tropicos pleno curvamine ſignat
Et Caper, & Cancer, quos & dixere Polares,
Zodiaci Polus; & Mundi circumſpicit axis,
Atque Parallelos Æquator; quinque notarunt
Terrarum Zonæ. Calidam concludit utrinque
Temperies; utrinque Polus concludit amænas.
Frigida Zona Polis, menſes ubi nocte laborant,
Temperat à Tropicis; medio decernitur ardens.
Zodiaci biſſena quater tres ſchemata Menſes
Efficiunt, ſenſim dum Sol prorepit in Ortum.
Ver Aries, Taurus, Gemini dant omine læto
Martius, Aprilis, Majus, cum terra vireſcit.
Æſtatem Cancer, Leo, Virgo; Junius edunt,
Julius, Auguſtus, Segetes cum meſſis adornat.
Autumnus Libram fert, Scorpion, atque Sagittam;
Septembri, Octobri, pariens & poma Novembri.
Friget Hyems Capro, cogit cum bruma Decembrem;
Janus Aquas fundit: Piſces Februarius offert.
Solaris motûs phantaſtica ſigna putari
Comperit Hipparcus: quia nempe quibuslibet Annis
Centenis eſt ipſa gradu mutabilis uno

Fixa-

Digitized by Google

Fixarum moles: hinc utraque cardinis æqui
Puncta receſſerunt antiquitùs obſervatis
Stellarum ſitibus: ſed adhuc exacta minutis
Viginti notat hora gradum. Mirabere forſan
Aptiùs eſſe theſes veras errore ſepultas,
Schemata cum longè varient, & tempora longo
Decurſu monſtrent, quicquid Ptolemæus aberrat
Alphonſo cenſore: notat Prutenica Reges
Cura duos, quam Ticho Brahe, Kepplerus & ardens
Corrigit; hos etiam ſtudioſa litura Magini
Carpet; Egent omnes limâ: Deus abdita pandat.
Præterea ſi vere novo cunabula Mundi
Impulerint Stellas, quamvis ea mentio primi
Menſis ab Antiquis dubiam rem diluat Annis.
Cũ tamẽ Æquator gradibus ter quinque progreſſus
Horam conſtituat, naturalemque diei
Curſum ſe toto viginti quatuor horas;
Quoque quaterna minuta gradu ſint: Menſis & Anni
Phæbæi menſura refert exactior ortum,
Occaſum, quantoque moras hæc tempore ducant.
Definit pariter longum, latumque locorum,
Et declinantes Boreæ ſub Clima, vel Auſtri
Stellas, aſcenſum, deſcenſum quemque minutim
Obliquum, rectumque notat. Nam verna gradatim
Inchoat in longum per gyrum ſectio: latum
Dat Quadrante Polos verſus, quo Sydera noris
Declinare gradûs totidem, quot percipit arcus.
Hinc ad Horizontem Sphæralis portio tradet
Deſcendentis, & aſcendentis limina Stellæ.
Coſmicus eſt ortus, cum Sol emergit, & Aſtrum:
Acronicus verò, cum Sole cadente recedit:
Heliacus, cum Stella cavet, ne Sole tegatur.
Signifer inde vices obliquis motibus omnes
Parturit, & motûs in ſigna ſequentia ſignis
Indicat. In latum diſtantia Sydera monſtrat.

Digitized by Google

De Eclipſibus.

Eclipſes celebrat vel cum conjunctio Stellæ
Inferioris iter Solis ſimul occupat ipſum;
Vel quia Sol umbram Terræ, vel corporis atri
Projicit in conos aversâ fronte; carentem
Lumine proſpicimus Lunã, vel quicquid in umbra eſt,
Aut interpoſito cum Sydere Sydus habemus.
Sed quia non omnes errantia corpora partes
Cœlorum ſubeunt, illis non plura teguntur
Quam ferat erronum trames. Sol amplior omni
Sydere non totus tegitur: vel Cynthia diſcum
Occupet, extremis lucem diſpertit ab oris;
Quod ſi Mercurio coeat, Venerique benignæ,
Deficit à nævis facies; ita conica terræ
Umbra tegit Lunam radiis circumdata Solis;
Sed producta minus, quam ſit diſtantia Martis,
Non tegit hunc etiam Perigæi ſede propinquum,
Non Venerem, non Mercurium, qui ſemper inhærent
Phœbæo lateri, tenebriſque remotiùs errant.
Umbram projectant omnes à Sole Planetæ
Pyramidis ſpecie: ſed nemo hac luditur umbrâ,
Si magis arrident ſervata recentia, præter
Saturni Comites, nec non Jovis; umbra minores
Quam ſint intervalla, comas à luce remittit,
Et fugit humanos oculos, niſi corpus inumbret
Inferius ſuperas Stellas, ſpatiumque coloret.
At Firmamentum ſolido conſtare metallo
Dixeris, & Stellas inibi conſiſtere fixas,
Quà bene convexo frons non extuberet aſtro?
Quippe probabilius fuerit par omnibus eſſe
Syderibus ſpectrum; quia notis novimus omnes
Argumentari viſus: errantia vultum

Non

Digitized by Google

Non æquè parilem monſtrant: cur fixa rotundis
Tuberibus Cælo non promineant operoſo,
Cum nitor, & facies videatur ſcrupea luſtris?
Nonne cavernoſus ſtellati fornicis Æther
Apparet? ſolidâque Galacticus orbis abyſſo
Teſſerulas, cruſtasque refert? ſed læve cavatum
Ora repreſentat tædæ fulgentis, ad inſtar
Punctorum: medius mundi Sol ergo refulgens,
Cum decuplo minus, ac Terram, colluſtret Olympum,
Exhibeat totidem Soles fulgore minutos.
Quæ cum non ita ſint, dicas luceſcere denſis,
Et raris, ſcabrisque tholis ſublime lacunar:
Fuſca neque umbrarum protendunt ſyrmata Stellæ,
Cum Firmamentum ſit opacum; deſuper ardens
Ambiat Empyreon, ſuperûm ſpectabile viſu.

Aſtrorum Deſcriptio.

Nunc ades: Aſtrorum facies, quas fabula pinxit
In Cœlis, excurre libens. O corde dolendum
Divinæ portenta manûs fœdata profanis
Nominibus; ne quis Græco ſermone Latinum
Miſceat inſontem, cupiens depromere ſenſus,
Quin ſubito mendax; non affaturus, & ulli
Non intendendus, niſi talia dixerit audax.
Parce vetuſtati, Pietas, ignoſce moderno
Scriptori, cui non meliora vocabula ſupplent
Notitiam: variare nefas. En Arcticus Urſas
Edomat; inque Polum caudâ Cynoſura ſuperbit,
Audet iners Helice plauſtrum geſtare ſupino
Tergore, nec Cepheus magni timet ora Draconis.
,, Artophylax, vulgo qui dicitur eſſe Bootes,
Pone comam renuit; præfert Ariadna coronam.
Engonaſis dextræ Clavâ, rictuque Leonis

Fulgurat; ad Cytharam Vultur non ſedat orexim.
Augetur nitidi candore Galaxia Cygni.
Caſſiopæa ſedens Cathedræ ſubſellia flammat,
Nec dolet Andromedes lucentia vincula natæ:
Namque Meduſæum Perſes caput enſe retundit.
Gorgonidem Deltoton Apis dulcedine mulcet,
Ducit Erictonius currûs auriga repertos,
Atque humero gaudens Hædos attollit, & Hircum.
Et Tropico Cancri concluſa hæc ſigna renident.
Mox Aries Cœto fretus Bovis impetit armum
Plejadibus madidum: patiens hic lutea pandit
Lumina, fronte gerens Hyadas, quas plangere iuſſit.
In Tauri vires umbone minatur Orion,
Cui Lepus eſt pedibus: femori cui Baltheus ardet;
Cui locat Eridanus fontem, quo vergit in auſtrum.
Lædæos Fratres cornu qui percutit uno
Cum Syrio Procyon latrant, & in arma laceſſunt.
Sed male belligeros præſepi Cancer Aſellos
Alligat, in pugnas Hydram vocat, atque Leonem.
Mitior at Virgo pacis cratera miniſtrat,
Et Corvum Spicâ quatiens Aſtræa Bilances
Porrigit Arcturo; quid nos Ophiuchus iniquo
Delectet Serpente furens? vel Scorpius albam
Corde venenato tentans offundere Zonam?
Audeat Arcitenens, Aquilam transfigere telo,
Quis ferat Antinoum? Delphin, an Pegaſus Ales?
Sed leve pondus Equus, Capricornus, Aquarius ambit:
Et nodo junctos Piſces Æquatio librat.
His infra Tropicos Zonarum torrida paret.
Phœnix, Anſer, Hydrus, Xiphias auratus, & Argo,
Clara Columba Noes, volucri cum Piſce, Camæleon,
Centaurus, Crux, Muſca, Lupus, Thus, Ara, Triquetrũ,
Sertum auſtrale, Noti Piſcis, Grus, Paſſer, & Indus,
Et Pavo, & quædam Nubes, & rara Venuſtas
Cardinis alterius partem ſplendoribus ornant.

Mun-

Digitized by Google

Mundi figura, & locus Stellarum.

APparens motus Sphæris inſerta quibusdam
Aſtra locet; Mundumque globi conſtare figurâ
Conjiciat, reliquisque Polos, & cognita Stellis
Centra probabiliter tribuat; præſagia quemquam
Cœlitus expertum non his meliora vocabunt.
Nam quoque ſi domibus circum, laquearia quadris
Verſentur, tamen à motu compareat orbis.
Sphærica perfecta eſt, ſpecieque capacior omni;
Sed quare Tellus perfectè Sphærica non eſt?
Quod potius credas, gyro vallantur Abyſſi, *a*
Et gyrum Cœli Sapientia ſola recurrit. *b*
Stellarum loca vera negat refractio lucis:
Nam craſſo medio creſcunt objecta videnti,
Ut ſubmiſſus aquis baculus, ſic vaſis in imo
Stare ſuper juglans immerſa crepidine major
Cernitur, & variis ſublime vaporibus aſtrum
Augetur, ſcintillat, hiat, circumjacit Halo.
Ac veluti ſpeculi convexa, aut concava reddit
Lamina mutatas ſpecies; ita nube jubatæ
Subſultare faces, ſimulare Parelia ſoles
Poſſint, & tremulam nimium diſtantia lucem
Corpora contracto dubitanter acumine vibrant.
Hinc aſtris varias decernit opinio leges,
Centra, ſitus, orbes, diametros, vera locorum
Limina, Cœlorum moles, quæ debile ſenſûs
Infirmant ſtudium: eſt major ratione voluntas.
Eſt etiam penſanda ſuo diſcrimine centri
Sedes vera; ſolo dum circumvolvitur Orbis.

a Prov.8.28. *Quando certa lege, & gyro vallabat Abyſſos.*
b Eccl.24.8. *Gyrum Cœli circuivi ſola.*

Digitized by Google

Nos etenim procul à centro ſuper extima Terræ
Degimus; & quamvis id Sydera fixa remotis
Lata voluminibus ſenſum non ludere poſſint;
Quo tamen eſt vicina magis revolutio nobis,
Hoc magis aſcenſum variat, quo culmina vertex
Occupet, aut ſimili deſcenſu fallat ocellos.
Dicta Parallaxis viſûs fallacia docto
Corrigitur calamo; quæ detegit alta vagorum
Regna Planetarum, quo quilibet ordine currat.
Vel circa Terram, vel Solis in orbe feratur;
Aut Apogæa procul ſint, aut Perigæa propinquent.

De Cometis.

Detegit & ſupra Phœben errare Cometas,
Atque novas Stellas: ſunt obſervata ſupremis
Phœnomenis nullam quandoque ea lumina viſûs
Ferre Parallaxim: quid ſint, ediſcere nondum
Poſſumus; aſt ubi ſint; verè didiciſſe fatemur.
Quippe cremabilium non eſſe incendia conſtans
Indicat aſpectus: tamen inde Stagira quieſcat?
Non utique: Et fluidis apponit ligna caminis,
Aërioque lari menſes, annoſque miniſtrat,
Ut ſacra Veſta Choros per inania compita Mundi
Ducat inoffensò. Sed ne Perigæa Planetas
Ignotos nobis oſtendant; vel glomerentur
Stellarum minimæ, vel ab Æthere Sphæra tenaci
Viſibilis fiat, Soliſque nitore coruſcet,
Remur, opinamur; neſcimus plenius iſta.
Sed procul à Terra, quæ Machina circuit uno
Lata die, patiturque nihil, quod Luna minutis
Pluribus inclinat: quantæ ſit molis Arator
Judicat; Aſtronomos ne dum menſura refellat.
Vera quidem ſedes Cœleſtibus altera detur,

Alte-

Digitized by Google

Altera, quos Lunæ pariunt Elementa ſub Orbem;
His mora ſit brevior, motus velocior; illis
Tardior à ſignis, tempus prolixius: omnes
Aſpectu ſimiles, Barbatos, ſive Comatos,
Cauda facit Solis radiis extenſa refractis.
Quin imo ſub Sole novum, ſeu veſpere Sydus
Comparet, ſeu manè, Roſæ quandoque figura,
Sæpius Enſe minax, aliquando Cornua profert,
Aut cincinnatum cędes mortalibus ægris
Portendit; nunquam ſpectatum impune cometam
Turba pavens perhibet: ne te præſagia lędant,
Noveris à Cœli ſignis horreſcere Gentes. [a]
Quo ſtudio veterum potuiſſet in omnia verti
Tam rarum, variumque jubar? mirabere Numen
Velle magis Populos memores his eſſe futuri
Judicii, mentes in regna Beata vocari.
Hiſtoriis eſt danda fides, ratioque notatis;
Nam vapor inconſtans, aut exhalatio præceps,
Aut nova fax lucis ſolaribus orta favillis;
Aut ſpumæ cœleſtis opus, quo pergat, & unde
Venerit, atque ubi ſit, vel quomodo cœperit eſſe,
Quo pacto incrementa ferat, decreſcat, & ultrò
Deſinat, hoc unum cum ſit, per ſingula debet
Inquiri, doctrina dari nequit omnibus una.

De Saturno primo Planeta.

LArgiùs hæc dici pigeat: Saturnus ab Aſtris
Erronum primus mœſto livore duobus
Vincla Satellitibus præbet, ſeu contrahit anſas.
Qui lento duodena gradu per ſigna recurrens

Tres-

[a] Ierem. 10. 2. *A ſignis Cœli nolite metuere, quæ timent Gentes.*

Digitized by Google

Tresdecies (demptis ſeptem, ſed menſibus) annos
In centro circa Solem, veſtigia Solis
Aſſequitur medio motu; velocior illi
Conjunctus; ſtatione piger quadrante remotus;
Retrogradus, Solem contra cum lumina torquet.
Quis ferat æquales motûs? Ellyptica centrum
Semita ſuſpectum faciens, majora dierum
Experimenta rogat; quamvis eccentricitatis
Maxima cum minimâ mediam diſtantia Proſta-
-phæreſeon ope concludat, motumque diurnum
Arguat in longum; ſimileſque Theoria leges
Imponens ſuperis Cœlorum motibus æquet.
In latum verò nodis deflectere poſſit
Seſquiduplo graduum, non nos hæc cauſa moretur.
Frigidus, & ſiccus, quare dicatur & hoſtis,
Neſcio; Sole procul ſi frigeat, Aſtra remotè
Fixa magis, magis algebunt: natura ſagaces
Ingeniis homines genuit, cupidoſque ſciendi;
Quod latet hos cauſæ, vocat in ſemota loquentes,
Ut ſibi diſtribuant effectus, qualia quodam
Ordine; Saturnum forſan videre Tyrannum
Frigoribus, pluviis, & tempeſtate furentem?
Sic ajunt, quando Capricornum luſtrat, & Urnam;
Cur alibi ſtantem jam non dixere benignum?
O male ſuada virûm notis inſcitia rebus!
Saturno virus, bilem atram, phlegma, ſenectam,
Interitum, ſordes, plumbum concede, ruinas,
Cęmentum, duros agri concede labores,
Unde probas? an non concurrit in omnia Cœlum?
Plumbeus eſt illi color; ergo frigidus: illi
Candidus eſt, igitur calidus, ſi luce refulget;
Eſt piger a motu proprio, feſtinus ab ortu
Raptus in occaſum. Phyſicè loquar; unus & idem
Motus hic eſt oriens; alius defectio motûs
Qua nequit una dies reditum complere Cyclorum.

Sed

Sed juvat Aſtronomos ſimplex æquatio, ſimplex
Circulus. Et ſic de reliquis diſcurre Planetis.
Hoc igitur teneas, quod præſide Sole diei
Lumina mota diem, lucem, motumque vigentem
Harmonicè peragunt; & Lunâ præſide noctis
Terra immota vices, noctem, mortemque rigentem
Harmonicè recipit: Nox eſt defectio quævis,
Interitus rerum, tenebræ, reſolutio, monſtrum
Naturæ, morbi, quicquid non regnat Olympo;
Et quibus eſt Phœbe juſſu præfecta Creantis.
Sed quæ Sol, Stellæ, Cœlis, aliique Planetæ
Perpetuo pariunt, & Terras fœnore donant,
Clara dies eſt, cui Titana præeſſe videmus.
Propterea longè Soli Saturnus obedit,
Et Comites adhibet circa ſe, luce ſerenam
Ut juvet eſſe diem Cœlis, quam nocte repugnans
Luna ſuâ turbat terris: ita pugna: deorſum
Luna movet, ſurſum Sol, & commota ſub aſtris
Saturnus cohibet, dum centrum vortice Solem
Luſtrat, & in plano Zonæ cum Sole vagatur.

De Jove, & Marte Planetis.

Poſt hos, Saturni ſublimia regna, receſſus,
Jupiter expectat læto pellucidus ore,
Qui ſimul undecimo longè ſpatiatus in Anno
Signiferum, menſi decimo ſuperaddere noctes
Tres denas conatur adhuc, ut compleat Orbem.
Sed minus hunc gradibus binis Ecliptica ſuffert
Diverti, potius nobis vicinus oberrat
Oppoſitus Soli, patiens adverſa tueri,
Et librare moras mediis, & in apſide promptos
Accelerare gradûs, & in imâ parte reverti.
Non ſecus iſta ſuis patitur ſucceſſibus audax

Bella

Digitized by Google

Bella ciere viris Mavors, qui dirigit Annis
Nempe duobus iter, Cyclis variabile ſeſqui-
Menſe minus; rutila feſtinus in auge curulem
Laxat ad uſque gradus ſeptem, dũ flectit in Auſtrum;
In Boream neque quinque gradûs accedere fidit.
At quos attentis comites mirere ſpecillis,
Jupiter in numerum circa ſe ferre quaternos
Excubat, hi plaudunt choreas, & ſæpe teguntur
Orbe Jovis, tenebras, qui lumine Solis obortas
Projicit in faciem: referunt conforme repertis
Mediceum nomen Galilæi ſorte tributum.
Humidus, & calidus quare dicatur amicus
Jupiter, & clarus radiis portendere vitam,
Igneus, & ſiccus quare dicatur, & hoſtis
Mars, & ſanguineus vultu portendere mortem,
Neſcio. Vana ferunt, mundo communia; Conda eſt
Proprietas; oculis non obſervanda Sabæis.
Quicquid habes; Solem centri ratione ſequuntur.
Et forſan quædam vis attractiva Planetas
Dirigit ad Solem, proprio movet Axe, relatos,
Ut Lunæ Tellus, ut Nocti Luna, Diei
Per gyros ſervire jubet; ſunt omnia Mundi
Membra quidem velut humano ſunt corpore partes;
Uno principio motûs quæ nexa cohærent,
Atque moventur: opus non eſt ex parte requiras
Saturni, Jovis, & Martis, Veneriſque, vagique
Mercurii, Lunæque vices: nam mobile primum
Sicut agit Stellas fixas, ita Sol movet iſtos;
Inde retardantur propriæ pro ſorte viciſſim
Naturæ, ne poſſit homo revoluta per omnes
Veſtigare vias, ſeriem ſcrutatus ab ortu
Molis ad occaſum, quà naturaliter errant.
Propterea Soli accedunt, pariterque recedunt
Et Terræ; ut Terræ accedit Sol, atque recedit;
Et librant orbes infra ſe, Solis ad inſtar.

Et

Digitized by Google

Et ſicut Tellus ſtellati verticis axem
Immotum, binosque Polos cuſtodit ab imo;
Non ſecus unusquisque Planeta Polos ſuper Axes
Diverſos à Sole ferat, motoque moventur
Principe Cœleſtes Proceres, & Turba Chorago.
Quod tibi Thema leges, cujus ſit conſona viſæ
Machina Naturæ? ſtabiles ut legibus eſſent
Aſtronomi Tabulæ, non ſunt in tempora Stellæ:
Cum non viſibili puncto determinet horas,
Stelliferum Cœlum: non ſunt in ſigna Planetæ,
Cum non deſignent aliquid monſtrabile viſu:
Inque dies non ſunt, neque in Annos lumina Cœli,
Cum ſit aſyderex collata potentia moli,
Signa, dies, annos metiri, tempus, & horas.
Quis ferat Aſtronomum, qui pro ſectoribus æquis
Veris, & Autumni firmo quadrante locandis,
Denegat officium Stellis, quas ipſe creavit
Omnipotens in ſigna, dies, & tempora, & annos?
Non Aries Aries? Non Cancer Cancer? at Æquum
Tempus ab his variat, potius Syſthema repertum
Calculus inficiat: peccant problemata, quare
Sydera condemnant? Æquantia puncta moveto,
Siſte gradum Stellis: nam Circulus integer illas
In Cœli motu docuit momenta Diei.
Sol Annum ſtatuit, reliqui variata Planetæ
Tempora, ſigna globus totus ſtellantis Olympi.

De Venere, Mercurio, & Sole.

Sic igitur Solem circumſtant Jupiter, & Mars,
Scilicet obſequium referunt conforme Parenti
Lucis, & alma Venus, novies quæ quinque recedit
Et tribus à Diſco gradibus, nunc Phoſphorus ortum
Præripit; occaſum nunc Heſperus ipſa ſecundat.

Et

Et male conſpicuus, qui non Titana relinquit,
Mercurius vafro verſatilis omine; diſtans
Ipſe quater ſeptem gradibus ſinit amplior ægris
Spectari ciliis. Semper directus, & idem
Tercentis ſexaginta Sol quinque diebus,
Et quaſi ſex horis proprium determinat Annum.
Harum incremento quartus quicumque Kalendas
Bis ſexto civile jubet diſtinguere tempus.
Defectuque pares tria ſæcula quæque notabunt,
Menſis Ephemeridas. Borealia ſigna per augem
Tardiùs exequitur; cum ſit demiſſior arcus
Telluri, peragit gelidæ quem tempore brumæ.
Ipſe Planetarum Princeps, & regula Mundum
Temperat, ejectis tenebris illuminat, æſtu
Lucis ubique fovens, animat fervoribus, ut Cor.
Quid de Sole feram? nobis lux occulit ipſum a
Hoc ſcio. Sol oritur, Sol occidit; inde renaſcens
In ſua ſigna redit; gyrat lucentior Auſtrum,
Flectitur in Boream: non contranititur ergo
Mobilium raptu, nec iter, quod linea ſcribat,
In Tropicum repedat curvis inceſſibus Annum:
Sed ſemper graditur rectâ, ſpiriſque diurnis
Exoritur, ſummum veſtigat, & occidit, amplos
Circuitûs peragens; eadem veſtigia nunquam
Calcat, ut Annorum curſûs diſcriminet omnes.
Ut fili glomus ex alabro girgillus in orbem
Colligit; exhibeat ſimiles à Sole volutas
Zodiacus, ſi trita notas via ſignet aratas.
Non aliter circum defert Natura Planetas,
Ne ſit idem tempus, diverſa volumina complet,
Quæ ſua non redigat ſtudiis in Fædera Thales.

De

a Eccl.1.

De Luna.

INfima Stellarum, nunquam retrograda propter
Vicinum ſtationis iter, ſemperque retortis
Motibus inconſtans, menſiſque miniſtra diebus
Viginti ſeptem vix horis octo regreſſum
Impigra bis ſenis maturat Cynthia ſignis.
Ut tamen aſpectu Solis conjuncta fruatur,
Perque Phaſes varias reparet ſua cornua, binos
Illa dies, & quinque horas prope deſuper addit.
Nec ſenos utrimque gradûs exorbitat unquam
Fraterno de calle; maris dominatur in æſtu;
Sola Soli ſolitis à Sole ſileſcit in umbris,
Auſtralis Boreale caput cum cauda Draconis
(Sic Lunæ vocitant quos fert Ecliptica nodos)
Tollit in alterutrum Lunæ, vel Solis honorem.
Undeviginti deſudat circulus Annis,
Quo reditum Lunæ loca prima morentur ad unguem;
Aureus & Numerus civilia feſta perennes
Æquet Epactarum Cyclos: nam Luna diebus
Deficit undenis à Solis calle quotannis;
Et præciſa tamen non eſt æquatio curſûs,
Quapropter quater, & decimum differtur in Annum;
Et magis exactè duo bis centena laborant
Sæcula. Si nobis adeo vicina moleſtum
Pandit iter: quidnam ſejunctior orbita veri
Prætulerit motus? labor eſt Atlanticus ipſas
Eclipſes ſervare, ſuo non tempore falli.
Qui tamen his cupias rimari plura potitus
Notitiis, attende diu; ſcrutare vetuſtas
Obſervatorum tabulas; compone recentes;
Corrige; correptis aptata recentiùs horis,
Si ſtudio valeas, adhibe Syſthemata ſolers,

Utere

Digitized by Google

Utere ſubſidiis. Hos exanthlare labores
Vel reges ipſos delectat, ut omnia tentent.

Quomodo Stellæ ſint in Signa, & Tempora, & Dies, & Annos.

Motibus his ergo lucentia Sydera Mundi
Vilius, & rudius curant diteſcere centrum,
Cum vacuum, pigrumque ſinum Telluris inanis
Quodlibet Aſtrorum certatim, & quisque Planetarum
Influxu coeat, fodiat, ferat, irriget, occet.
Non tamen à Cœlis tantum fœcunda putemus
Viſcera materni gremii, prius inſita Plantis
Novimus, & vegeto pollentia ſemine frugum,
Quam nubant Soli, Lunæ, Stellisque maritis.
Inde autem Stellæ quia ſunt in ſigna nitentes,
Quisquis opinetur rerum ſpeciebus amandis
Unicuique datum jus, & propendere tractu
Sympatico, veluti gaudet magnete Polaris;
Quæque rei propriæ ſpecies ita Sydere certo
Lætetur; cauſæ latet efficientia: quidnam
Singula ſigna notent ſpecialiùs, occulit Author:
Signa notamus enim naturæ fœdere pandi,
Si quoque ſignificata latentia percipiamus:
Sed quia percipimus tantum communia, tantum
Pandimus ex Aſtris communia tempora Mundi.
Namque Dies, & Nox, & Menſis, & Annus, & Anni
Solſtitium duplex, duplex æquatio noctium
Unde Æſtas & Hyems, Autumnus, Verque ſequuntur,
Et variatur opus Solis, Lunæque meatu
Ex obſervatis fiunt notiſſima Stellis,
Ut nunquam ſimili ſeries ætate recurrat,
Nunquam eadem referat momenta Platonicus Annus.
Sunt æternorum pariter ſignacula Stellæ

Queis

Queis inviſibilis clareſcit gloria viſis,
Miraque Cœlorum revocant ſpectacula mentem
In ſuperum Lumen; proh quali luce coruſcat
Alma TRIAS! quantis illic fulgoribus ardet
Lux indeficiens! ubi contemplaberis Orbem
Terrarum ſine luce Poli, ſine munere Cœli,
Quem reputes facie? caligant omnia, frigent
Omnia Syderibus demptis; decus omne Beatis,
ANNIBAL, omne bonum nobis transmittit Olympus.
Sordet humus, quoties Cœlum ſpectamus apertum:
Theſauros ibi conde tuos, quo nemo Latronum
Appropiat, nullo corrumpit tinea morſu.
Quid cupidos delectat opum cuſtodia? quorſum
Elatos delectat honos, molleſque voluptas?
Huc age, Cœleſtes Sapientia ſola receſsûs
Ambulat, & ſatius Centri fuligine regnum
Dives, honore nitens, & delectabile monſtrat.

Cavenda Aſtrologiæ Vanitas.

SEd tibi ne vacuus curis imponat Haruſpex, a
Et ventura velis Aſtris prædicere viſis:
Nam licet Aſtra ſuâ Mundum virtute fatigent;
Cum tamen haud unquam ſimili ſe fronte reviſant
Omnia, nec Terris lucem moderentur eamdem;
Nec ſatis exploret metas Babilonius Horos,
Non individuum poterunt portendere caſum
Aſtrologi, cujus nunquam præceſſit origo;
Cujus adhuc ignota via eſt, ignotus & ordo
Stellarum, moles, motus, diſtantia, robur.

K Nun-

a Iſa. cap. 47. 13. *Stent, & ſalvent te Augures Cœli, qui contemplabantur Sydera, & ſupputabant Menſes, ut ex eis annunciarent ventura Tibi. Ecce facti ſunt, quaſi ſtipula &c.*

Nunquam ſunt eadem numero, quæ ſunt ab eiſdem
Syderibus, Cœlique locis; namque alter, & alter
Motus, & aſpectus, numero, ſtatione, regreſſu
Labitur in tempus, novitate vetuſta recudit.
Nunquam ſunt eadem numero, quæ ſunt in iiſdem
Limitibus, Terræque ſitu: namque omnia fluxu
Subdita mutantur; generatio præterit horum,
Altera ſuccedit. Novit per ſingula Numen
Has cauſas, hos effectus, niſi limen in ipſis
Imponat numeris, ſonat alea clauſa fritillo
Jactûs ancipites: libertas ipſa viritim
Neſcia pro numero non ſe determinet illis,
Hiſque rei metis; verùm commune bonorum
Appetit indicium. Deus his definit acumen.
Si placet auſpiciis ſimiles edicere caſus,
Ecce rubet Cœlum ſub veſpera ſigna, ſerenum *a*
Tempus erit. Mœſtum rutilat ſub mane, minatur
Tempeſtas hodie: certè venit æſtus ab auſtro
Flante: parat nimbum nubes à veſpere ſurgens. *b*
Diſcolor, aut rubeus Sol eſt, vel Luna, vel Aſtrum,
Ventus erit: pallent? ſplendorem protinus abdunt?
Conduplicant diſcum? deſpumant æquora; murmur
Auditur? Pluvias, tempeſtateſque ſonoras
Expecta; Nautas vexat nova Luna periclis;
Aucta die quinto, ſextoque cavenda retardat;
Quinimò ſylvas ne perdant inſita, plantas
Semina ne fallant, caries ne ligna reſolvat;
Fœmina ne fœtus abigat, ne vina putator

Deſ-

---

a Matth. 16. 2. *Facto veſpere dicitis; ſerenum erit, rubicundum enim eſt Cœlum; & mane. Hodie tempeſtas erit, rutilat enim triſte Cœlum.*

b Luc. 12. 54. *Cum videritis nubem orientem ab Occaſu, ſtatim dicitis, nimbus venit; & ita fit. Et cum Auſtrum ſtantem, dicitis quia æſtus erit, & fit.*

Digitized by Google

Deſperet, ne poma ſuo de ſtipite deſint,
Ne meſſi frumenta, favet Lucina colonis.
Et ſervat Piſcator aquas, & tempora Lunæ;
Quà chelas reparant Cancri creſcente, chelydris
Pinguior eſt ſuccus. Medicos non pœnitet ipſos
Morborum, febriumque chriſes cognoſcere Phœbes
Lumine. Vim Stellis quis deneget? anne peritum
Aſtrologum fateare, tibi cum ſuppleat uſum
Proxima cauſa rei? duplex quoque denotat Iris,
Et mare nigreſcens pluvias, & aquatilis ales,
Ranaque, quas etiam auritus præſentit Aſellus.
At Cœlis aptare domos, horoſcopon illam
Dicere, quæ Nati vitam præſeferat, artem,
Temperiem, mores; aliam, quæ divite cenſu
Lucra ferat: Fratres, & Amicos tertia monſtret;
Quarta decus patrum, ſtabiles res; quinta nepotes,
Et natos; ſortemque bonam, ſortemque malignam
Sexta; Maritales incendat ſeptima tædas;
Morte minax octava; potens pietate putetur
Nona: genus vitæ decimam pro culmine Cœli
Regalem faciat: Geniuſque benignus amicis
Undecimam. Poſtrema lues, & vincula triſti
Digerat eventu: ſunt hæc commenta cicutis
Digna Lycambæis. Quid enim phantaſtica Circes
Munia diſtribuat domibus ſine luce repertis;
Cum neque diviſi conſtet diſtantia Cœli?
Mox quanti conducta domus noctuque, diuque
Pro Domino fulgens habitatur ab Hoſpite? quanti
Fit mora, dum contra ſua tecta Planeta fit exul?
Hinc elatus, & hinc dejectus, & hinc peregrinus;
Illinc carpento trahitur, comburitur illinc,
Et quicquid curæ mortalia corda coegit,
Ridiculum tribuiſſe Polo. Divinet id unum;
Prodigium celebras; mendacia mille teguntur.
Perlege, quæ ſtudio venere diaria multo,

Digitized by Google

Tum confer quos ſorte ſua movet urna lapillos
Caſibus inſcriptos: an non quoque prompſerit inter
Falſa aliquid veri? caſum fortuna ſecundat;
Effectus certos ars, & prudentia novit;
Cauſa latens, non cauſa rei eſt; niſi ſemper eumdem
Parturit effectum, quem non aliunde creatum
Nemo notet. Venti, pluviæ, nix, grando, procellæ,
Fulgura, terrarum motûs, & frigus, & æſtus
Undique non fiunt, & habent ubi cauſa propinquo
Suggerat influxu vires; hìc cæra liqueſcit,
Hic aret limus ſub eodem temporis æſtu.
Effudit partu geminos horoſcopus idem
Moribus oppoſitos; ſegetes ager edidit idem
Diſſimiles. Eadem fructûs eſt diſparis arbor.
Siccine cum pateant ſeptem ſubjecta Planetis
Omnia, tam vario procedunt ordine? totis
Viribus indignor pro libertate tuenda:
Nam placitis Hominum fiunt quamplurima belli,
Rure, domi, pelago, per iter, per caſtra, per urbes,
Emporiis, aulis, templis, ubi curia lites
Excoquit: Artifices ubi trita negotia tractant,
Quà Pueri ludos, Juvenesque Lycæa frequentant,
Quà Prytanæa ſenes, leges Hymenæus amicas;
Quà Pia ſepta fovent ægro languore cubantes,
Quid tibi cum Stellis? Terris hæc omnia liber
Uſus habet. Pietas in utrumque parata vereri
Jure ſacro Numen, naturæ lege Parentes,
Officiis Reges, fidei paritate Sodales,
Juſtitiâ cohibere reos, dare dona merenti,
Æqua laboranti, fraudes expellere, pactis
Stare, nefas odiſſe, frui virtute, potiri
Codice teſtato, Patrum ſuccedere cæris
Faſque, piumque docet; dulces educere Natos,
Pro Patria pugnare, bonum commune tueri,
Exercere ſolum, victum conquirere cultu,

Mer-

Digitized by Google

Merce, manu, ratibus, Populum quod deficit unum
Alterius reparent conſortia provida Gentis.
His autem quid opus Cœlum? quaſi talia vellent,
Aut fabricare domos, aut has evertere, Cives
Expectaturi Cœlorum motibus angi.
Unde ſcient igitur, ne dum quæ libera mentem
Arbitrio ſponſore vovent, ſi meſſis ariſtas,
Si vindemiolæ cogat ſors una racemos?
Ecce dies eadem Piſces, Volucresque creatos;
Altera novit Oves, Armenta, Feraſque, Virumque,
Nec tamen aptat idem cunctis Lybitina ſepulcrum.
De Cœlis ſatis in Terris mirabitur anceps
Spectator neſcire Deum, qui tempore, motu,
Luce, calore frui conceſſerit, inde minoris
Noverit ingenii ſeſe, quam poſſit in ipſis
Occultas vires, & ad unguem dicere formas.

OPUS QUINTÆ DIEI.

Textus.

20 *Dixit etiam Deus: Producant Aquæ reptile*
Animæ viventis, & Volatile ſuper Terram,
ſub Firmamento Cœli. 21 *Creavitque Deus*
Cete Grandia, & omnem Animam viven-
tem, atque motabilem; quam produxerant
Aquæ in ſpecies ſuas, & omne Volatile ſe-
cundum Genus ſuum. Et vidit Deus, quod
eſſet bonum. 22 *Benedixitque eis dicens:*
Creſcite, & multiplicamini, & replete
Aquas Maris, Aveſque multiplicentur ſu-
per Terram. 23 *Et factum eſt Veſpere, &*
Mane Dies Quintus. Geneſ. 1.

Piſcium, Aviumque Creatio.

MAjeſtas operum lapſis oſtenſa diebus
Protulit exanimes moles, ſenſuque carentes:
Quinta Dies Animas vita potiore creatas
Gaudet Aquis reptare ſimul, motare per auras.

Fit

Digitized by Google

Fit gradus aſcenſu: lux oſtia prima recluſit;
Altera diſcrimen rerum firmavit ab undis:
Tertia victuris ædes aptavit, & eſum;
Quarta Vices poſuit Stellarum motibus omnes;
Quid ſupereſt, niſi Quinta ferat, niſi Sexta reponat
Aëris indigenas, & Aquæ, Terræque colonos?
Hinc Pater Omnipotens, producant Reptile, dixit,
In ſpecies quodcumque ſuas; Maria omnia circum
Et lymphis ſubmerſa natant immania Cete,
Prægrandes Orcæ Balænis acre flagellum,
Piſtrices, Phocæ, monſtrum fatale Nearchi
Claſſibus eructans nimbos, fluvioſque Phyſether.
Si neget Oceano Siren Acheloidas artes,
Et ferat inter aquas Delphin Amphiona tutum,
Quanta canat portenta maris, quot piſcibus undas
Concelebret gravidas? Gades Athlantica Thynnis
Ora replet: glaucis Galeis Rhodos inclyta plaudit:
Sed Mauritani Xyphiæ mucrone paveſcunt;
Non procul Herculeus Scombris Piſcator abundat,
„ Purpureiſque Salar ſtellatus tergora guttis
Cum Salmone pares inhiat protendere pinnas.
In ſcopulis Polypus, petris Echeneis inhæret;
Et Murena cicur pretio venalis avaro,
Et Scarus alta tonans, ſolus qui ruminat herbas,
Arduus arte capi, cui non minus æmula Flutis
Invideat Muſtela; juvet peregrina Lagois
Pharmaca, ne pinguem vitiis, albumque venenet.
Splendida menſa petit Mullos, Myxanas, Acarnes,
Auratas, Rhombos, Acipenſes, Oſtrea, Percas,
Pelamides, Mœnas, Congroſque, Luposque, Zeosque;
Vilior Anguillas, Aphias, Coccyges, Atellos,
Haleces, Sardas, Lamias, Tincaſque lacuſtres,
Alburnos, Salpas, fracto de vaſe Siluros,
„ Stridenteſque focis obſonia plebis Aloſas.
Aſtacus hinc ludit Carabis; & Maja Paguris;

K 4 Mytu-

Mytulus hinc Cochleis, Conchis & Cammarus illinc;
Cancer Locuſtis, & Squilla Leonibus illinc.
Lucius inde nitet; Squatinæ cutis inde rigeſcit;
Tructa rubet ſquamis, & in ardua nititur amnis;
Sepia nigreſcit, qua ſentit arundine falli,
Roſtrum acuit Scolophax, eludit retia Mugil,
Et caput abſcondit latebris; Torpedine languet
Piſcator, Stellæ prædâ fervente caleſcit:
At neque ſi centum pedibus Scolopendra laboret,
Viſceribus clauſum, ſimul exta remittat, & hamum.
Quid non te memorem quæſita, Lutarie, coeno
Pabula præbentem Sargo? te Sarge Capellæ
Tegmine deceptum, quam vincis amore vagantem?
Teque flagellantem præſentia fata volatu,
Lucis Hirundo parens? Nautis te, Pompile, fidum
Præſidium? gaudent Murex, & Purpura Reges
Oſtriferâ ſanie comptos incedere; gaudent
Loligo, & Milvus pauidâ ſe lintre timeri.
Hoc Mare quam magnum, ſpatioſum manibus! illic a
Reptilium numerum non eſt qui cenſeat: ovis
Innumeris fœmella parit; Mas ubere lactes
Protrahit, & rarâ fœtûs enititur alvo:
Quandoquidem vegeto gliſcunt humore natantum
Semina ſparſa freto, caveis vel fota marinis,
Et quia Sal, & Aquæ præbent alimenta, minuta
Exiguum exquirunt Piſces, multiſque diebus
Eſuriem tolerant; vel tum quia ſenſibus ipſis
Cum minus excellant, atque humiditate ſit altrix
Frigida temperies, minor eſt quoque fomes edendi.
Non tamen abſtineant eſu, vel dente viciſſim
Ignoſcant generi proprio: quò grandior ætas,
Quò majus corpus; gurges magis appetit eſcas;
Et maris everrunt ſordes, majorque minorem

Con-

a Pſal. 103. 25.

Convenit inſidiis. Eſt reſpiratio quædam
Piſcibus, at medio ne non ſit congrua denſo;
Ne careant pulmone, datur veſica reſervans
Aëra, quo miſcet latices, & ſpiritus halat.
Ore trahunt alii fluctus, redduntque tumentes.
Et cruor eſt illis minimus, gerit unda cruoris
Munia; quorumdam ſenſum vix noveris eſſe,
Ceu ſunt Pulmones, præſagia certa procellæ,
Quæve Salo projecta jacent Holothuria, duris
Tecta ſuper coriis. Onychas, Solenas, & Aulos
Oſſa tegunt, Hippos Teſtæ, Cruſtæque Donacas
Et ſimiles formas: ſpinis deſævit Echinos,
Horret Equus ſetis, Vitulus, Fiber, inter aquoſum
Et terreſtre genus, quæ ſunt vocalia ſicut
Amphibia, ut Ranæ, Teſtudo, Porculus; Exos
Eſt aliis natura; tamen ſquamoſa videtur
Muta, quia & linguæ complexis faucibus hærent,
Et neque molle poteſt auras propellere guttur.
Et quamvis alii vivant ex æquore ducti,
Protinus occumbent, ſi deſerat humor anhelos.
Non omnes eadem teneat mora: Carpio Barbis
Ocyùs emoritur, Melanurus Hirudine, Pecten
Sphyrænâ, Leuciſcus Aco, Rajâque Thymallus.
Eſt etiam fœcundus adeps, oleique liquamen
Piſcibus: unde natant motu leviore per undas:
Hinc oleo placat ſua Turſio viſcera; molles
Condit Elæogaro fluvialis Gobio cœnas.
Non omnes fert omnis aquæ ſinus: extera mittunt
Littora compoſitos Muria, Cupiſque Salitos.
Cantharus ingratus ſucco ſaxoſa recurrit
In vada, ſerratis oculos ubi pandit & Orphus
Dentibus ingentes; Nidos deponit in alga
Phycis, & Armenios piſces Arethuſa propinquis
Non Tigridis confundit aquis: Tegeæa Boacem
Mercurii tellus, Lepidotum Ægyptus adorat.

Et

Digitized by Google

Et Leucum Berenice adolent, Citharum Colophone.
Latus amat Nilum: quid non imponere finem
Creſcendi Crocodilus avet, lacrymisque nocendi?
Oceano, fluviis, lacubus, ſtagnisque, vadisque
Creſcit aquatilium ſoboles, ut juſſa paternos
Fœcundare ſinus, impune diutius ævum
Ducere, quam Terræ proles delenda Fluentis.
Non alio deduxit Aves Deus ex Elemento,
Quamquam Natura varias à Piſcibus: uni
Cuncta Poteſtati fieri licuere ſupremæ;
Quodlibet ex quocumque: nihil non paret eidem,
Qui creat ex nihilo; ſic omnia vertere poſſit
Ex aliquo; velut in nihilum committere verti.
Ex aqua Aves igitur conceſſæ in nubila ferri,
Continuò volucres Animas, Animabus & artus,
Artubus & plumas, plumis extendere pennas,
Feſtinant pennis alas, alisque volatum.

De Avibus.

NOn quicquid volat,eſt Avis;omne Volatile ſummū
Eſt Volucrum Genus alatum; nam Veſpa, Cicada,
Crabro, Fucus, Apis, Cynomyja, Nitedula, Muſcæ,
Papilio, Grillus, pericauſtica Cantharis, Oeſtrum
Quippe volant, & Aves non ſunt. Quin dicitur ales
Et Veſpertilio; Mus eſt alatus; & alas
Protendit membrana; volant quodammodo Piſces
Æquore: pennigeras ſpecies perfecta requirit
Forma; tegunt plumæ; roſtro, pedibusque duobus
Ora, gradusque vigent: quadrupesq; Volatile vites; a
Immundas inter volucres, minus apta comeſtu
Plurima dignoſces. Aquilam prædare peritam,
Nidi-

a Levit. 11. 13. uſque ad num. 23.

Nidificare jugis, & ſaxa reponere nidis,
Et Pullos reprobare nothos ad Solis acumen,
Deſpice: Vexillis ſatiùs depicta Quirites
Armigeros in bella movet; Jovis ales, & auſpex
Non formidandus rapti Ganimedis honore:
Si quoties Labaris ſuccedant ſigna ſalutis
Cur Aquilis felix intentat fabula monſtrum?
Utilior ſit pugna feris cum Gryphibus, aurum
Defendens Arimaſpe tuum: ſimulata Leonum
Membra, ferunt Aquilæ caput, alaſque: acribus ipſi
Congrediuntur equis. Haliæetus, atque Pygargus
Ex Aquilis ſumpſere notas. Quæ Milvius odit,
Vultur amat raptæ fœdata cadavera prædæ:
Corvus utrimque rapax, quē ſi ſtirps alba ſequatur [a]
Abneget eſſe Patrem. Sit Corvo rarior albo
Qui ſequitur Corvos, neque craſtina decipit hora.
Struthio dura vorat, collo ſublimis & anceps
Intuitu, petit ima volans, ut currat eundo.
Noctua triſte canit; vigili movet Ægida nictu;
Deſipiat, ſi tale ſapit, qui venit Athenis.
A Lare mite Larum, Lario qui nomina fecit
Et Lacubus Fulicæ titulum diſtendit, & unguem.
Accipitres omnes damnat fuga prompta rapinæ;
Nec placet ignavus Bubo, nec Mergus aquoſus,
Sed roſtro procera nocet ſerpentibus Ibis.
Candet Olor, per ſtagna ſibi prænunciat omen
Mortis, & argutis Epicædia cantibus ornat.
At quid Onocrotalus, Cygnoque ſimillimus artûs
Voce rudit? caſtas Matreſque, Nuruſque tuetur
Porphyrion; mirum quod ſudat Erodius atro
Sanguine, ne ſpurium videat; fortaſſis & ipſa eſt,
Quæ Pietate ſenes ſuevit nutrire Parentes,

Atque

a Pſal. 146. 9. *Qui dat Jumentis eſcam ipſorum; & Pullis Corvorum invocantibus eum.*

Atque fidem thalamo ſervare Ciconia puram
Et Colubris inviſa graves purgare paludes.
Galgulus, aut aliter quæ dicta Chaladrius, ales
Icterus ingluvie pollens, prædatur in undis;
Inque fimo criſtatæ Upupæ paſcuntur olenti,
Quis ferat has epulas menſis, quas Capo, Palumbus,
Anſer, Anas, Perdix, Turdus, Ficedula, Turtur,
Grus, Ortyx, Parus, Fringilla, Rubecula, Sturnus,
Guſtu delectant, & Aves à flumine Phaſi
Translatæ? Philomela canens, & Chloris, Acanthis,
Et Torquilla placent, & Alauda, Canaria, Pica,
Pſittacus. Halcyone gaudet mare, Depode littus;
Paſſeribus valles, Alpesque Lagopode gaudent.
Ova cubat Cuculi Curruca, Monedula nummos
Furatur, Meropes Apibus veſcuntur; Hirundo
Nuncia Veris amat tignis appendere nidos.
Inſequar aucupio volucres? neque fallere cantu,
Nec didici laqueis, aut viſco, aut retibus illas
Decipere, aut globulis ſubitas explodere cædes.
Ante leves ergo numerabimus æquore piſces,
Ante per Aërios pennata frequentia campos
Diſtingui, cogique ſinet, quam compare veræ
Carmine quis ſpecies omnes enarret Aquarum;
Vel productivas Avium, vel Piſcibus aptas.

De Generatione Animalium.

ACcinui dudum quintâ ſuper æquora Numen
Intonuiſſe die, qua vivere juſſit ab undis,
Squamigerumque genus, docuitque volare per undas;
Pennigerumque genus, docuitque natare per auras,
Atque his cognatas ſpecies, affineque germen,
Et ſimilem ſobolem duplici de conjuge naſci.
Non aliter ſextâ Terreſtria luce popoſcit
Senſi-

Digitized by Google

Senſilium miris Animalia ſurgere formis,
Cum plantis vegetare artus, progignere ſtirpem,
Inſuper eſurie pugni, dignoſcere victum,
Seque movere loco, dimota capeſſere ſenſu,
Appetere, iraſci, proprias effingere voces.
Jam verò ſi mixta ſuum perfecta requirunt
Semen, & invideant ſenſu pollentia brutis
Stirpibus in flores pulcrè ſua ſemina nactis;
Turpiter illuſtres Animas ſemente, vel ovo,
Multiplicant gemino juncti Mas, Fœmina ſexu.
Ut quamquam ex putri natum, vel Patre feratur;
Indita gignendi virtus, ſit ſeminis inſtar,
Sitque ſatum totum de ſemine ſemen, & edant
Spermaticæ virtutis opus fermenta coactum.
Tu tamen attendas primæ genitalia ſortis;
Nam Deus, & Natura ſuis confinia rebus
Impoſuit, ceſſitque quibusdam principiis hæc
Inniti, illa aliis; & non aliter fieri, quam
Primævâ ſtatuit mundi fieri genitura.
Propterea de Patre ſuo ſit Filius, illi
Perſimilis, de Matre ſua ſit Filia compar
In ſpecie; ſexu varii, ſed utrique Parenti
Sorte pares; monſtrum fuerit quod diſcrepat illis.
Ergo licet thalamos naturæ ſorte jugales
Progenies ſpecie ſimilis, par fœtus honeſtet;
Si tamen externo ſuccus ſementis in agro
Bullit, & inſolito naturæ fœdere fervet,
Suppoſitâ de Matre Nothos, partusque Parenti
Diſſimiles, pullosque ſuâ matrice pudendos
Procreat, & ſtupris monſtrum malè mota nefandis
Materies generat, nimium tenuata, vel aucta;
Vel vitio quocumque ſui jus oſa Mariti.
Sic Equa Jumento producit adultera mulum;
Hynnulus ex Aſinâ generatur; moeca Luporum
Semine concipiens pariet Canis ipſa Lyciſcam.

Et

Et ſic imparibus genitoribus hybrida ſurgit.
Corruptis ita Bobus Apes, ita germen Aſellis
Veſparum prodire ferunt; non ſemine tantum,
Sed citiùs quodam lectæ putredinis æſtu
Muſca, Culex, Cimex, Pulex, Pes, Blatta, Teredo
Uſurpant Inſecta ſuas Animalcula cunas.
Sed locus eſt methodo; Lumen ſubtilius urget
Ingenia, & cauſas rimatur in omnibus aptas,
Nec movet aſſenſum præceps, quò vulgus oberret.
Nam ſicut plantæ vegetâ virtute per omnes
Seminium ramos ſervant, & traduce plantas
Ferre novas poſſunt, & ab Arbore naſcitur Arbor;
Prorepunt rumpi glebis, & ſæpe novantur
In ſteriles fœtus, nec ſolum fructibus inſunt
Semina, cum virtus eadem ſit corpore toto.
Sic etiam aſſervant totis Animalia membris
Fomentum proprii generis; neque ſemina tantum
Spermaticis excìſa locis generatio promit;
Sed non apta pares, veluti Natura requirit,
Decretis fieri modulis, effundere fœtus.
Aut igitur Mas eſt Animans, aut Fœmina, totum
Semen erit, cùm ſit vegetum: Fermenta per artus
Effundent totos, ſed cum non omnia certos
Membra toros habeant, vermes exinde reponit
Pro ſimili genitura ſato; quia ſemen abortit,
Dum nutrimentis ſibi convenientibus exit
In loca non ſua, nec propriâ crebreſcit in alvo.
At quoniam perfecta ſinus genitura creatos,
Quos ſtatuit Deus, exquirit; nec fœmina ſolum,
Nec mas parturiunt, quamvis hic, & illa latentem
Progeniem totis habeant ex artubus in ſpe,
Prolificum ſemen, quod utrique eſt, vivit ineptum
Alterius vitæ, ſi non determinet illud
Ex aliquo vivens actus, ſed utrinque paratum
Gignere, motricem virtutem expectat alendi,
Qua

Digitized by Google

Qua vegetet, ſumatque ſuas ab origine leges.
Idcirco neque mas ſolus, neque fœmina ſemen
Effoetum pariunt; nequicquam intacta maritis
Ova fovet Gallina; carent virtute movendi;
Nequicquam Piſces, vel Aves, vel Beſtia quævis,
Aut Ovum, aut Semen deponunt ventre pudico;
Vel ſatagant alere, & molli formare cubili,
Ni Maris effluvium caſtos aſpergine ſuccos
Fœcundet, referetque viam, qua creſcere poſſit
Semen, erit ſterilis genitrix, & prole carebit.
His igitur quibus eſt ceſſum, quamplurima partu
Germina conniti, ceu Piſcibus, ingerit uno
Mas coitu virus tantum; quod pluribus effert
Principium vitæ; aut repetant conſortia carnis.
Inde probat genii ſtimulos natura ſalaces,
Et lenes tentat crebrâ prurigine lumbos;
Appetit & ſimilis ſimilem caro; Fœmina ſexum a
Maſculeum, Mas fœmineum, ſed neuter eumdem.
Cur autem ſimilem ſpecie, numeroque jugalem,
Et varium ſexu cupiat Venus integra; dicam;
Prona diu ſervare ſuum genus, inſita rebus
Vis eſt, & ſocios pariles ſibi cernere carum,
Et reparare bonum, quod ineſt ita dulciter in ſe;
Sed cum nulla vagum conſtringat fine cupido,
Pellicit in numerum genio conformia; tempus
Et locus eſt anſæ. Paritas in amore triumphat.
Provida naturæ ratio ſuffecit amorem,
Ne modo progignat fœtum, ſed nutriat ipſum,
Educet, erudiat; quare niſi ſufficit alter,
Conjugiis interdicit divortia certis.
Adde quod in ſexu ſit norma cupidinis impar.
Hic petit; hæc petitur: vis attractiva maritæ
Sortis ineſt utero, lumbiſque virilibus ardet

Con-

a Eccl. 14. 4. *Omne Animal diligit ſimile ſibi. Omnis caro ad ſimilem ſibi conjungetur.*

Concubitûs fomes, ſobolis motiva facultas.
Hæc ita conjugio decreta fideliter inſunt:
Sed qui transgreditur metas, operatur iniquè,
Vel nihil obtineat Prolis, vel ſiquid habebit,
Fœdatum incerto conſurget ſanguine mixtum,
Unicuique ſuus modus eſt, & cura ſuorum.
Nam præter Venerem plures ſemente relicta
Frondibus, & foliis, cœno, vel puluere ſparſim
Committunt Solis, Lunæque labore movendam
Progeniem; cœlum motu concurrit, & aſtris,
Ut fœtûs animet natali luce; minutis
Seminibus reſperſa juvant loca; cortice, pomis
Inſeritur vermis; quæ vellere tinea manat,
Lampyridum, ſimiliſque fuit concepta volantis
Luxurie; Volvox ſegetes concreſcit in ipſas,
Gurgulio, Trox, & Lydas; inſectile crebro
Creditur ex putri factum, quod ſemine conſtat.
Nonne vides medio Cariem conſurgere ligno?
Lumbricos latitare cibo, quos educat alvus?
Formicas miſcere ſolo ſua pignora? Talpas
Suffodere in terris, Anguillas repere limo?
Phœnicem ſpeculare novum; natalia Bruchus,
Eruca, & Bombyx efferre ſimillima poſſunt.
Bombylis eſt primo; fuerant prius hiſpida Campe;
Inde fit erumpens ſua clauſtra, Necyddulus ales,
Poſtremò redit exploſo de ſemine Bombyx.
Non minor eſt ſobolis Pelecano induſtria, fuſo
Sanguine ploranti fatum, qui morte peremptas
Excitat ad vitam, ſi vera eſt fama, volucres.
Prolis amor vehemens in matribus acriùs ignem
Commovet, at Patribus ſæpe eſt ignota propago,
Curaque negligitur: ſed Apes commune Platonis
Connubium peragunt, quando concorditer omnes
Fœmineam Regem obſervant, curantque gregatim
Naſcentes Populos, unàque examina ducunt,

De

De Interitu, & Corruptione rerum.

Cum ſemper verò unius corruptio raptim
Parta ſit alterius generatio, reſtat agendum,
Anne ſit unius paritur generatio fœtûs
Alterius corruptio; nam perfectio de ſe
Non corruptelam dicit, neque finis agentis
Intendit pravum naturæ deliquium; ſed
Accidit in multis, & non attenditur eſſe
Perfectè genitis corruptio; ſicuti contra
Cum quid deſtruitur, cum quid corrumpitur ultrò,
Intento pro fine rei, generatio non eſt.
Corrumpi non eſt gigni, gignique viciſſim
Non eſt corrumpi formaliter; ergo ſequatur
Hoc alternatim crebrò; quandoque tametſi
Non ſequitur, quid enim corrumpitur, ut generetur
Mentis conceptus, virtus, habitusque ſciendi?
Quod ſi quale quid eſt iſtud, ſubſtantia Verbum
A Patre Divino genitum, rationis id infert,
Poſſe aliquid gigni, quamquam corruptio non ſit.
Nonne etiam ſpecie ſenſus mutantur, & aër
Lumine? cæleſtis mutat quoque gratia mentem,
Gloria vel corpus divo quoque mutat amictu.
Non igitur ſequitur ſemper corruptio, quando
Fit genitum quocumque modo: cape ſingula penſu
Naturæ; commune nimis nam regula fallit.
Principiis attende ſuis res quaslibet: artis
Eſt methodus natura; novum quid ab arte paratur
Ex aliquo, vel in hoc aliquo ſuperadditur, & nunc,
Ut fabriceris opus, naturam deſtruis, & nunc
Perficis addendo, vel item diſponis in actus
Ingenii, non eſt eadem rationis origo,
Ædificare domos, calcem torrere caminis

Digitized by Google

Ac lateres; hos, deque illam ſubmergere lymphis,
Cæmentis cruſtare lares, laquearia tignis,
Sculpere marmor, ebur, ſtatuas conflare metallis,
Argillâ teſtas, coctâ vitreamen arenâ,
Pigmentis unguenta, herbis medicamina, prælo
Delibrare notas, glaſto ſuffundere lanas,
Et cineres colare acres, & ſmegmata pingui
Deſpumare oleo; quid tum ſi milite multo
Bella recrudeſcant? claſſes dominentur in undis?
Vel numero, vel menſura, vel pondere tractes
Aſtra, ſonos, motûs, elementa, negotia, voces?
Ingenuas, & mechanicas natura per artes
Eſt imitanda viris; non ſunt modus unicus artis,
Naturæque vices. Molito frumenta, farinam
Furfure commixtam ſecernito; Pollen habetur;
Si ſubigas udâ, maſſam congeſſeris, illinc
Azima condepſes, laganum, cereale minutal,
Artocreas, libum, paſtillum; nomina deſunt
Piſtori, variis pinſenti cruſtula quadris.
Uſque adeo quid habes primâ de ſeminis hectâ
Corruptum? certè rerum diviſio princeps
Eſt corruptelæ; ſed adhuc ſapit omnia panis,
Quæ fuerant immixta ſato: cucumâque rebullit,
Fitque cibus, veniſque cibus fit ſanguis, & inde
Pars hominis. Neſcis quando ſubſtantia prorſus
Diſpereat prior, & fiat nova. Tranſitus omnes
Percurrit vicos letho prius, interituque.
Non alio natura gradu procedit, ut arbor
Secta fit à plantis, non mortua protinus aret;
Paulatim languet, vegetum quia ſectile vivit,
Scinditur in tabulas ſerrâ, diſciſſa dolatur,
Artis opus varium patitur natura vocari,
Et quæ ſunt uſu facientis idonea noſtro,
Deſuevit corrupta gemi; niſi forte putreſcat
Truncus, & horrorem fœtor gravis ingerat atrum:

Sed

Digitized by Google

Sed ſubito violenta rapit mors igne cremando
Res combuſtibiles; plures gignuntur & ignes
Pluribus ex rebus, quisnam determinet unum
Principiis adeo diverſis? forſitan Aſtris
Singula reſpondent incendia? fervet olivo
Flamma, viget ſevo, cerâ, trabe; millia rerum
Corrumpit? numquid ſpeciem venit ignis in unam?
Difficilem viſu faciem deformat edaci
Mulciber ingluvie; ſtrages Bellona furenti
Marte parit, numquid generare cadavera miles
Dicitur? hæc alio ſe deformatio tractu
Prodit in oppoſitum perfecti germinis, & ſic
Deſtruit interitus, perfecta quod actio ponit.
Ex omni motu quædam eſt generatio, quædam [a]
Eſt ſimul & citra mentis corruptio finem,
Namque in re mota quod definit, incipit eſſe
Hoc aliud; ſed quanta ſimul diſcernere toto
Corpore non liceat; quia jugis motus ad inſtans
Non manet; inſtanti mens cogitat, unde moratur
Terminus; inde igitur paſſiva potentia motûs
Accipit hoc gigni minimum ſucceſſibus ipſis,
Quod non ex propriâ virtute reſiſtit agenti.
Sic Animal penitus moritur, cum vita ſuperſtes
Nullibi ſervatur. Verùm diſponit agonem
Morbus, & incipiunt digiti liveſcere, & ungues,
Et cutis, extremique artus mutantur, & humor
Putridus exanimes paulatim reddit, & æſtus
Particulas vitæ: ratio viventis in uno
Commate ſervari poſſit; ſed jugiter omnes
Emorimur, mutamur, in hoc dum vivimus ævo.
Nunquam in eodem vita ſtatu manet, & veluti flos
Egreditur, mox conteritur, velut umbra fugatur [b]

L 2 Una

[a] S.Thom. contra Gentes lib.3. cap.27.
[b] Job.14.

Una poteſt Animæ ſors immortale per omnes
Conſolidare vices decus, æternosque triumphos,
ANNIBAL, hunc Veri profert ſapientia finem;
Cætera differimus non invenienda ſereno
Lumine; differimus qua poſſumus, atque valemus,
Verba damus: Fidei geſtis attendimus Unum.

Quod omnia Compoſita habent unum Actum Subſtantialem, à quo reliqui actus accidentales proveniunt.

Hoc autem noviſſe juvat, quia quælibet actu *a*
Suppoſiti primo ſubſtantia prævalet, unde
Dimanant quæ contingunt concorditer, atque
Deſumunt ſpeciem, quia plurima ſemper ab uno
Derivant; ideo nobis ignota frequenter
Eſſe videntur idem, quæ ſenſibus indita, menti
Perſcrutanda ſonant varium problema: fatigant
Aucupis ingenium volucres poppyſmate multo;
Et Piſcatores Neptunia turba ſagaces
Decipit Harpocratis labiis, viridique colonos
Germine derident plantæ: latet unica rerum
Forma, patent actus tantum virtute ſecundi.
Hos autem ſubjecta movet ſubſtantia, motu
Paulatim variat, patiensque remittit, agensque
Mox alios refricat, motu deperdita, motu
Reſtaurat; partes ſuccedunt partibus, uſque
Dum primæ formæ ratio concepta ſeneſcat.
Scilicet interitu tantum res altera fiet,
Res eadem turbata manet, ſi duret eodem

Sup-

a S.Thom. opuſc.45. de Plural.Formar.

Digitized by Google

Suppoſito ſpecies, indiviſumque ligamen.
Ex athomo genitum dijudico, vel corruptum,
Quando compoſitum neſcit proferre ſub uno
Conceptu formam indiviſam; ſic aqua fœtens
Aſſeritur corrupta, gravi corruptus & aër
Peſte; lues partes, non inficit omnia tabo.
Multiplices actus mediant ex ordine formam
Compoſiti, quos compoſitum per plura relatum
Pandit, ut inſtrumenta ſui conjuncta valoris;
Et diviſa ſolent crebro corrupta vocari,
Cum corruptibiles actus diviſio promat,
Sicut conjugiis generabile corpus habetur.
Eſſe quid immenſum fateor ſub quolibet actu,
Inque rei cujusque nota; nam dicere quid ſit,
Quid valeat, quo fine, quibus virtutibus, in quo
Conſiſtat natura, genus, ſpecies, numerusque,
Quid patiens, quid agens circa ſe poſſit, & in quæ
Mutari poſſit, nos definire nequimus.

De Materiali Forma Animalium.

Hos habeat genitura modos, pluresque relatis;
Non etenim narrare poteſt breve ſingula carmen:
Sed vigor ipſius de ſemine natus, adhærens
Inſtinctus, genius, vis, paſſio, motus, & actus
In varias diſtincta vices, formæque ſequelas
A Genitore fluunt; quoniam cum plurima præſtet
Corpus idem, qua corpus idem, cui cuncta referri
Geſta neceſſe putes, ipſum conceperis unum
Suppoſitum, nunquam reliquis commune, ſibique
Subſiſtens individuum, quod Hypoſthaſis effert
Eſſe ſuum; ſi mente valet, Perſona vocatur.
Hoc totum Genitor tribuit, divinitùs ipſo
Semine ſic fieri natum ſub origine tali,

Digitized by Google

Non aliter; formamque vocant, quæ cuncta reportat.
A Genitore fluit totum: ſed cuncta vocentur
Hic Genitor, quæ concurrunt, ut fiat idipſum.
Sed quia qua corpus, partes habet ordine junctas,
Qua mixtum, variumque tonum, variamque figuram:
Endelechia ſubit diverſis munia membris,
Quorum concentu concretas corpore formas
Harmonicè ſtatuens, natis bene conſona vires
Incolumes ſervat; ſi diſſonet, ægra retundit.
Sed Genitoris opus pendens à pluribus unum
Cauſarum auxiliis, Cœli, Nutricis alentis,
Nutrimentorum, Regionis, Temporis: hinc eſt
Influxu patulum, propter quem ſumit ab omni
Parte modum varium mixturæ, atque indolis, unâ
Servatâ ſpecie, quæ ſeminis hujus, & ob quam
Attribuis Patri, quicquid reperitur in illo.
Semen ab hoc igitur præciſum Patre, paternum
Obtegit idolum; ſed membra recondita nunquam,
Dilatet, niſi materies ſubtilis, & apta
Contextu ſubeat teneros pruriginis artus.
Embryon augetur ſuccis, incongrua mittit,
Congrua diſponit membris: hìc molliter humor
Confluit, hìc fibris aptatur muſculus, illic
Articulis nervus, nervis os, & oſſibus artus.
Hinc Animal quodvis, exotica præter, habebit
Excrementa, cutes, humores, oſſa, medullas,
Impulſus, venas, nervos, ſenſoria, carnes,
Articulos, adipes, ſinuum loca, viſcera, fibras.

De Excrementis.

Non modo quæ ventrem fęces, urina cruorem
Sudor, & halituum jugis ſpiratio ſenſus
Emungunt, & quæ vitale ſuperflua ſanis

Par-

Digitized by Google

Partibus excernunt corpus; pariterque capillos
Excrementa voces, ungues, villoſque, piloſque,
Et pinnas auibus, ſquamas & piſcibus addas,
Et pelli furfur, capitiſque ſaliva palato.
Namque ſupervacuo compacta forinſecùs eſu
De cutis hæc porulis naſci, privataque ſenſu
Paulatim, ceu gramen humi, ſuccreſcere cernes,
Humoreſque ſuis exire meatibus actos,
Et lacrymas oculis prodire gementibus ipſas.
Imo vivificum per vaſa ſuperſtite ſemen
Emitti ſecreta cibo; quod ſponte diremptum
Corporis integritas renuit; non præterit. Ergo
Par illis fuerit ſemen! ſed majus in ipſo
Fomentum virtutis habes, quo Patris imago
Exprimitur, membris augenda, per intus alentem
Matris opem; quid lac? vegetam neque vivere vitam
Credideris; partes liquidas diſcerne carentes
Vitali tractu, tamen his ſumus, atque movemur;
Quid porrò dicas? ſunt excrementa ciborum?
Nequaquam. Spectant animal quæ ſingula totum,
Et diviſa tamen non totius organa lædunt;
Cum veluti folia, & fructus ex arbore, creſcant,
Si propulſa foras fuerint, & inepta putreſcant,
Jam fuerint aliud, quod non animalia curant.

De Pelle, & Humoribus.

OMnia membra cutis triplici circumdat amictu;
Protegit exterior viventem mortua pellem,
Ut velum ſubtile ſuper, quæ ducta priores
Excipit attactus rerum, veramque tuetur;
Furfuribuſque vetus ſpolium demittit omiſſis.
Puncta foraminulis, & glandibus undique parvis,
Rete repræſentans, credatur idonea tactu

Digitized by Google

Altera. Qua corium latitat ſub pelle, refertum
Venis, & nervis, interna tenaciùs arctat,
Craſſiùs obſiſtit, fovet omnia, veſtit, & ornat.
Nec ſine re pellis rugas, ſinuoſaque criſpis
Vaſcula texturis natura latenter aravit:
Quippe papillari nervorum cuſpide prenſat
Durum, & molle: fricans ductu titillat amico
Scabrum, & læve: minus, vel plus ſuſpenſa gravandi
Pondus habere notat, tendens ſurſum, atque deorſum.
Frigore contrahitur, tumefacta calore rubeſcit;
Et nimiâ compreſſa rei vi læſa precatur
Sive cicatricem ſciſſis obducere plagis;
Sive fatigato confuſa reſiſtere callo.
Flemma, melancholiam veteres, cum bile cruorem
Noverunt; ſed forte ſimul cum ſanguine venas,
Et pulsûs animant hæc: & fluitare per omnes
Ex nutrimento partes; quia cœna ciborum
Ingluvie diverſa infert elementa: facultas
Seminis attritas fluidis acoribus offas
Digerit: humores finibus ſtagnare recuſat:
Unicuique ſuam membro deliberat eſcam,
Dum circum lato lymphæ rigat omnia motu.
Eſt humor vitæ radix; ſine ſanguine rubro
Oſtrea, Limaces, vel talia vivere poſſint;
Non tamen omnino lymphis arentia vivunt.

Sceleti Deſcriptio.

PRæterea quia fulciri, rectumque videri
Debeat, & plures Animans oſtendere formas,
Oſſa baſim ſternunt, ſine qua quid inutile præſtant
Brachia, Crura, Pedes, Torax, Caput, Ilia, Dorſum;
Aſpice tercentum Sceleton (vel plura recenſes)
Oſſibus inſtructum. Velant Perioſtia fuſtem,

Pro-

Digitized by Google

Proceſſus nudata tument, ut libera poſſint
Oſſa movere ſinum cavitate reciproca leni.
Sunt quædam procera minus, quibus addere ſoccum
Appendix videatur; apex ita nectitur illis.
Cui ſimilis ſpecie, ſed flexilis undique carti-
lago magis molles partes ſubſtentat, ut aures.
Oſſa ligamentis inter ſe vincta per artus,
Plura ſub unius tractabilis ore cadaver
Symmetriæ diſtincta refert. Tres dicere ventres
Aſſueſcunt, caput, & pectus, ventremque ſub ima
Conſtructum regione. Vocant extrema relictum.
Nunc age, ſit nudus vertex. Calvaria ternis
Suturis cerebri cellas teſtudine format,
Pelle pericranii tegitur, quæ duplice lamnâ
Fornicat ingenii latebras; frons, occiput ambo
Tempora Syncipiti jungit. Senſoria pendent
Organa, principiis cerebri diducta latentis,
In cunei morem ſcabrâ ſphenoide clauſi.
Hinc jugulo fauces hærent, hinc ora palato,
Dentes mandibulis, quorum vegetatio ſenſum
Arguit: oſſe cubat vocalis Ioide lingua,
Cui ſubnexa larinx epiglottide tuta trachæam
Inchoat, & ſonitum pulmonis ab aëre fundit.
Truncus habet ſpinam, collum quæ mobile ſeptem
Vertebris, dorſum duodenis, quinque coercet
Lumbos; os ſacrum totidem; Coccyge quieſcit.
Tergo procedunt coſtæ, quibus arcus utrinque
Integer in ſterno ſeptem complectitur orbes,
Quinque ſinum ſpuriis ſtomachi defendit apertum.
Hinc pectus vitæ motûs, hinc regia cordis
Exta fovet, pleurâ cingit, præcordia tendit.
Claviculæ ſterno ſcapulas, humeriſque lacertos
Annectunt. Gremio coxendicis iſchion, ile,
Et pubes obſcœna regunt, abdomen, & alvum.
Bellua quoque pari non eſt compagine corpus
Nata;

Nata; carent manibus plures; pedibusque quaternis
Inceduut: aliæ reptant ſine cruribus; illis
Eſt natura bipes, aliis eſt annulus excors
Multiplici ſpinthere movens: hæc halitat exos,
Altera non uno variat ſymplegmate partes.
Omnibus eſt parilis vitæ ſenſatio; ſenſûs
Conveniens medium; medii ſtructura cohærens;
Structuræ methodus; methodi non unica pars eſt;
Partis ſimplicitas, pars unius eſt elementi.
At juvat indagare genus perfectius, ut res
Imperfecta magis facili ratione probetur.

Extremorum Anathome.

PRopterea quibus eſt manuum percommodus uſus,
Ex ſcapulis humeri pendent, qui brachia longo
Conſtituunt oſſis ductu, cubitumque duobus
Oſſibus apponunt: radio protenditur ulna
Flexilis ad carpum: carpo vola juncta tenacem
Complexum digitis effert: manus integra nervis
Viginti ſex oſſa ligat: micat ordine pollex,
Index, famoſus, medicus, minor auricularis.
Diſſimili non arte femur proceſſibus ingens
Pendet ad uſque genu; duplici crus ambulat oſſe:
Tibia ſubſtentat, ſubnectit fibula greſſum:
Inde pedis tarſus: talo calcanea; calci
Teſſera; naviculæ cunei; mox planta jugatur;
Et plantæ digiti; digitis aptantur & ungues:
Seſſameiſque riget pes, & manus aucta minutis.
Hoc igitur natura ſuam fundamine prolem
Ædificat, dum ſemen alit, dum lacte meatus
Circumluſtrat; ubi eſt ingreſſus durior, urget
Nectaris appulſu, cujus pars craſſior hæret;

Sicut

Digitized by Google

Sicut arenoſis tophus concreſcit aquarum
Fluxibus, & ſiccis ex partibus arida cudit
Oſſa; prius molli gummi, gypſata ſubinde
Defectu humoris, motûs creſcente calore.
Illa poroſo ergo coaleſcunt pumice, ſiccis
Texta minutiolis, & pinguibus uncta ciborum
Particulis, molles ſugunt ſinuoſa medullas,
Atque viis aliis reddunt, ne vita putreſcat,
Præ reliquis immota manent dum partibus oſſa.

Variæ Animalium Partes.

SAnguinis, & quicquid cum ſanguine mixtio geſtat
Pulsûs, & venæ per corpus ubique canales
Eſſe velint: nervique toros, & robora, ſenſus,
Et motûs animo; ſenſoria ſenſibus actum
Suppeditent; propiùsque vices, & munia carnem
Sufficiant; ſimul articulis diſtincta fovendo
Profit adeps per membra: ſinus aptabile cunctis
Viſceribus ſpatium laxent; & viſcera plenis
Sint inteſtinis, alimentorumque vorago:
Viſceris extremum fibræ cujuslibet aptent:
Quid bene chirurgum deceat? ſubtiliùs omnes
Explorare facultates, quas alma vetuſtas
In naturales, vitales, atque animales
Diſtinxit: venas jecori conceſſit, & omnem
Vim naturalem: cordi vitalia propter
Impulſus; cerebro nervos, ſenſataque vitæ
Munera, diſſeruitque illis excurrere ſuccum
Spirituum proprium, per quos animalia ſeſe
Sponte movent nervis; pulſu vitaliter halant;
Natura ſubeunte modum nutricis aluntur.
Forte ſed hæc oleant veteres Ellychnia fungos,

Nam

Namque fibroſa caro, quæ muſculus appellatur,
Pulſibus organicè, venis, nervisque ligatur
Oſſa penes: tunicas, adipes, ſimilesque moventi
Cognatas Animæ partes geſtire laceſſit.
Principii ſtabili ſpontanea vecte poteſtas
Contrahit, aut laxat medias, ut mantica, fibras,
Tendiculis finem claudit, majoraque tentat
Robora: virtutem tonico diſſeminat actu;
Feſſa remittit onus: numero ſuper oſſa potitus a
Majore, hærentis gaudet cognomine partis
Muſculus, ut capitis, manuum, pedis, oris, & auris.
Ecce tibi frontem gemino moderamine ſulcat;
Prima ſuperciliis dependet palpebra; malis
Altera: quisque ſuis per ſingula membra movendi
Principiis pollet ſenſus: cerebroſa fovetur
Ventriculis, dorſique ſinu ſubſtantia: florem
Ex alimentorum ſucco dum nervea forte
Interiora trahunt, ut dein ſenſoria vivant
Exteriora ſuo vitæ fungentia motu.
Alveolis etiam ſtagnans corrumpitur humor,
Et cerebrum potius lymphatur ſanguine, cujus
Motus ad organicæ ſtructuram partis alendam
Dirigitur parvis venis, ne copia lædat;
Interea ſubtile ſuis lac glandibus hauſtum
Ebibitur, quod poſſit in hunc albeſcere fluxum
Humorem cerebri, nervis ſugentibus aptum
Diſtribui paſſim. Quin emuctoria fæces
Auribus, & naſo, atque alio purgantia tractu
Hunc cerebri ſuccum quadam convolvier arte
Naturæ ſatis oſtendunt; aliundè fibroſis
Aſſumens alimenta viis, aliundè reponens
Ipſa ſtrues cerebri, movet indagare latentem
Circuitum, nervos quo ſpiritus impetit omnes.

De

---

a *Nam muſculi numerantur pluſquam* . 430.

Digitized by Google

De Senſibus.

INſpicis, ut paribus jungatur vertebra nervis
Quælibet; huc illuc duplici de reſte recurrunt
Funiculi, ſerpunt, veluti radicitùs arbor,
Linamenta plagas membrorum adiguntur in omnes.
Sed tamen in cerebro ſedes primaria nervis;
Unde vides oculis, & naribus olfacis, audis
Auribus, & guſtas tonſillis, fauce, palato;
Et cutis attingis communi ſingula tactu.
Stant oculi ſenis clauſi motoribus infra
Frontis utrumque cavum; longo, teretique receſſu
Nervus inire biceps viſorius, atque repleri
Pingui fine, tegi membranis: induit ipſum
Cornea pars craſſæ tunicæ, quam utrinque coronat
Adnata, & poſthac eſt uvea, quæ ciliares
Proceſſus diducit, ubi pupilla foramen
Efficit; externos media ne luce colores
Reticulum pictâ renuat ſub imagine latos.
Mox aqueo vitreus, vitreo cryſtallinus humor
Cum propriis tunicis oculum diſponit; ut ora
Rerum forma ferens, inverſo pyramis actu
Reſtituat rectum fundo tenus inſita vultum,
Dum decuſſatis radiis tenuata reportat
Funditùs id, quod erat mediâ ſuper iride pictum.
Spongiolæ lacrymas hirquis abſtergere poſſint,
Si quando premat inſolitis anguſtia cauſis
Delicias capitis. Cum triſte quid accidit, intrat
Per ſensùs, mentem turbat, movet intima, ſtringit
Cor, ſinus inflatur, venæ turgent, oculi flent,
Et dolor exprimitur. Viſus vorat omnia præceps.
Luce colorifera miniata; carentia luce
Fuſca videre putat, quia non videt: ipſa videnti

Dum-

Digitized by Google

Dummodo ne nimium minuat, vitioque laboret
Angulus occurrens oculo; vel ruga ſeniles
Emungat tunicas, & opus ſit lumine lædi.
Pungit odoratum, tenui ſpiramine tactum
Exhalans fumus, cribroſum perque penetrat
Oſſiculum, replens pituitæ cola fluentis.
Serpit odor nares, naſum nidore ſupinat,
Vellicat olfactum: coſto ſi provocet Indo,
Caſtoreisque fibris, Arabum vel pulvere quovis
Ventriculos cranii naris ſuffita priores
Stertit, & inflato de pectore ſternuit udum.
An verò ſimplex elementum reddat odorem,
Difficile ed dictu; quia non percepimus illum
Senſibus: halat, olet, corpus, quod fumat, & urget
Spiritibus nares; quid non aqua, flamma, vel aër,
Terrave cotactu redolent? non paſſio fiat
Aſſuetis, minus afficiant immixta; ſed halant
Omnia, diſcerni poſſint ut corpora ſenſu.
Percipimus viſu, guſtu, tactuque, quid ergo
Non quoque percipimus naſo? non auribus ipſas
Simplicium formas? omnes nam mobile ſenſûs
Excitat, & toto ſeſe manifeſtat hiatu.
Concha per anfractum tremulo colliſa ſuſurro
Perficit auditum, cum timpana pulſat, & incus
Stapede malleolum cruciat, nervoque repoſtas
Pervadit cerebri caveas tuba, ducta per auras
In numerum, toties motu repetita ſub aures.
Vox animi ſignum, deprompta videlicet uſu
Gutturis, & linguæ, vel qua modulatur avenâ
Fiſtula pulmonis, variis animalia noſci
Cantibus edocuit: rugit Leo, Bos boat, Anguis
Sibilat, hinnit Equus, grunnit Sus, ludit Aëdon,
Balat Ovis, mugit Taurus, Canis allatrat, Urſus
Oncat: gannitu Vulpes, gemituque Columbæ,
Vagitu Lepores, Aquilæ clangoribus audent.

Exu-

Digitized by Google

Exululantque Lupi, Pullis pipientibus ovum
Gallinæ glocitant, fœtusque dolore gracillant:
Cucurrit Gallus, muſit Capra, Rana coaxat,
Grus gruit, Accipitres pippant, Aſinumque rudentem,
Stridentem Merulam, crocitantem dicito Corvum,
Pavo pupillat faſtu, rotat invidus alas,
Trinſat Hirundo, lipit Miluus, Mus mintrit, & Hircus
Mutit, barritûs Elephas, plausûsque Palumbus
Et ſimili ſimulare ſono ſi Pſiptacus omnes
Ediſcat voces, muto ſimul ore ſtupeſcant
Piſces, an logicæ propriis exinde ſatisfit?
Quid ſonus eſt? moti cum corpore corporis ictus,
Et liquidas duri colliſio lata per auras;
Nam dum percutitur corpus, totâque reſiſtit
Mole, fragor reſilit, tanquam vibicis imago:
Et circumductos medii ſpatiatur in orbes,
Donec in aërios elangueat unda receſſus;
Quapropter ſonus ex motu graviore reſultat,
Quo læſum corpus ſervari cura reclamat:
Fit ſtrepitus, partes ſi tum violentia frangat.
Denique ne jugi vitæ molimine totum
Deficiat, partesque aliti reparentur omiſſæ,
Sollicitat ſatiare famem, quam ſiccior acri
Rodentem morſu venter tolerare paveſcit;
Sollicitat ſatiare ſitim, quam denſior eſus
Et calor arentem refici petit alma voluptas,
Diſtribuitque cibum potus, potumque liquentem
Vitalis motus contuſis temperat eſcis.
Manditur ore cibus, jugulo transmittitur infra
Ventriculi vacuos limbos: Oeſophagus eſcam
Excoquit in chylum, ptiſanæ ſubigentis oryzam,
Perſimilem: Diaphramma juvat, dum follis ad inſtar
Spirat, reſpirat transverſum pectore ſectum.
Eſca ſubit longo duodenum tramite, nunquam
Jejunum exaturat, tenues ingreſſa receſſus

Co-

Digitized by Google

Colon, & a cæco tortis ingurgitat antris,
Ut rectum fœdo reſidem detrudat ab ano.
Interea toto dapifer dum ventre pererrat
Fluctus, & inſtituunt primas hypochondria ſedes;
Ilia quas medias pupus nutritur in alvo;
Inguina poſtremas: membranæ omenta tegenti
Subduntur; ſparſim venæ lac mobile ſugunt.

De Nutritione.

Chyliferis igitur venis alimenta miniſtrat
Conveniens cibus, & ſtomacho concoctus, & aeri
Succo perfuſus; ſed enim ſubtilior æther
Protinus inuadit vitæ ſpiracula, vires
Excitat, & reficit languentia membra vapore.
Quod quia non ſatis eſt, Arteria quæque cruorem,
Cum per anaſtomaſin quacumque profundior inſit,
Venis irrorat, quæ tum cor verſus eundo
Sanguineum repetunt fluxum, valvisque reportant
Nutrimenta meſenterio, quà venula quævis
Sorbeat humorem, veluti ſi ſpongia villis
Gauſapinis guttas pleno de vaſe reducat.
In truncos portæ, atque cavæ transmiſſus ad hepar
Venarum fontem ſanguis, fit in hepate fervens
Irarum illicium; caſtigatumque liene
Fundit in auriculas cordis pulmonica potum,
Et cava vena, ſinus dum corde diaſtola laxat;
Syſtola mox illum conſtringens corde repulſat,
Omnibus & pulsûs ingens arteria membris,
Et pariter tribuit miro pulmonica gyro;
Sed conjecturis loquimur, quod acutiùs ipſos
Artifices nequeat penitus componere judex.

Hæc

Digitized by Google

Hæc vitæ ſeries, hic circulus eſto cruoris; [a]
Undique diffluimus, reparamus & undique fluxum,
Sed non eſt eadem methodus pro munere vitæ;
Dum reparamus enim vitalia ſumimus hauſtu,
Naribus, ore, cibum, potum, aëra, quicquid in ipſis
Provida Cœlorum clementia miſcet abundè;
Perque ſuos ductûs in nobis exta volutant.
At cum diffluimus, fæces natura repellit,
Et numeroſa poris quod tranſpiratio defert
Paulatim, ubertim demittit id halitus oris.
Hac operâ paſſim lymphatica vaſa laborant,
Et laticem potant, potant pericardia purum,
Glandula maxillæ ſuffundit in ore ſalivam,
Et quæcumque ſuos deſpumat pelle liquores,
Urethres, renesque luit veſica madentes,
Nec procul inde ſuam norint cunabula prolem.
Mutuus eſt vivis conſenſus partibus, ut ſi
Vel minimus lædatur apex, impertiat omnem
Ærumnam; ſatagunt læſis vicina mederi
Membra; minus poſſint; languent, & febre frequenter
Deficiunt animi vires, & morte premuntur,
Cum male ſymphoniam partes è corpore talem
Obſervent, motum ne cor diffundere poſſit.

[a] S.Thom. de Motu Cordis Opuſc. 35. ait, *Quod Cordis motus eſt ſimilis motui Cœli; & ideo ab Anima motum quemdam habet, non circularem, ſed ſimilem circulari; quia eſt principium, & finis omnium motuum, qui ſunt in Animali; & ejus motus eſt continuus durante vita Animalis; niſi in quantum neceſſe eſt intercedere morulam mediam inter pulſum, & tractum, eo quod deficiat à motu circulari. Et ideo quia imitatur motum circularem, in quantum eſt ab eodem in idem; ſic non eſt inconveniens, ſi quodammodo ſit ad diverſas partes; quia & motus circularis aliqualiter ſic eſt. Hanc authoritatem perpendant, qui putant recens eſſe inventum, dari circulationem ſanguinis.*

Digitized by Google

De Arte Medica.

DIximus hæc ruditèr, ſed diſtinguendus in omnes
Motus erit partes, vel quem natura requirit,
Vel quem ſponte ſuâ deſiderat indita virtus,
Vel quem fœcundâ collimat mente voluntas,
Vel quem ſæpe pati cogit violentia corpus.
Hæc etenim partes morbis vis impetit omnes
Corporis, & titulo donat, quo membra laborant;
Quid tibi cum podagra? ne ſit chiragra tenaces
Articulos crucians; nervos ne ſpaſmata vexent,
Ne cephalæa caput, ſtomachum ne nauſea lædat,
Ne ſtupor invadat cerebrum, deliria mentem,
Lethargus ſomni loculos, phantaſma phreneſis;
Ne gravet Herculeas ſpumis epilepſia vires,
Reddat & attonitos præceps apoplexia ſenſus,
Aut fauces angina petat, pleuritis acuta
Corripiat tuſſi coſtas, aut colica ventrem
Sollicitent, hydrops aqueo languore tumeſcat.
O quot, & ò quantis opus eſt obſiſtere morbis!
Vulneribus, plagis, febribus, nephritidi, peſti!
Militat omne malum contra nos; flegmate, bili,
Sanguine corrupto; mortem potamus in eſcis.
Et nimio fervore cibus dum viſcera rumpit,
Irruit, opplet, edit (rarò defecit inanes
Ventriculos) medicina doſi vehemente reduci
Temperiem ſtudet in medium: mox duplice motûs
Ægra valetudo languet vi: morbus iniquo
Pondere naturam laxat, medicinaque morbum
Trudere contendens, perimit perſæpe dolentem.
Nam brevis eſt vitæ ſeries, ars longa, periclum
Præceps, cauſa latens eſt, experientia fallax,
Senſus difficilis, virtus male nota medelæ,

Judi-

Digitized by Google

Judicium incertum, medicorum turba bilinguis,
Impatiens Æger. Si quem premit anxia morbi
Sollicitudo, magis gravat irrequieta ſalutis
Cura. Diæta juvat; Medicum furtiva cupido
Fallit, & infirmi vocat indulgentia mortem.
Eſt igitur curanda priùs vitioſa voluntas,
Quæ movet adverſum vegeti moderamina motûs,
Et medicam confundit opem, conſueta nocenti
More placere ſibi. Tum leniter adjuvet ipſum
Naturæ motum prudens Podalirius, & quem
Sponte ſua novit revireſcere, nutriat artis
Deliciis, cautè foveat, ne debile vitæ
Supprimat auſpicium; pretio quid pharmaca magno
Porrigit Ægrotis Chymicus labor, Indus Hydaſpes?
Infirmus manducet olus; perpauca ſalutem *a*
Utiliùs fomenta parant, & regula vitæ
Præſervat, tenor aſſuetus ſufferre labores
Plurima devitat totis incommoda nervis;
Expedit exiguo ſumptu, curâque tuimet
Conſervare quod es, quod habes; quam velle reponi
Per medicos, quod perdideris: nunquam redit idem
Motus ad amiſſæ veſtigia priſtina formæ;
Tendimus in pejus ſemper, votiſque valendi
Solliciti nimium, vitio dum quærimus annos,
Temporis obruimus poſitas à Numine metas.
Quid divexamur fato? ſemel eſt obeundum.
Si cuiquam breviare dies non diſplicet, uſus
Immodicos rerum vitæ faſtidia captent.
Sed ſatius vixiſſe nihil, qui vivere brutis
Deteriùs ſtatuit: multos victurus in annos
Utitur ingenio: non eſt diuturna ſenectus *b*
Futilibus traducta modis; vis ſoſpes in ævum

M 2 Vi-

a Rom. 14. 2.
b Sap. 4. 9. *Ætas ſenectutis, vita immaculata &c.*

Digitized by Google

Vivere? principiis obſta, mediisque malorum,
Exerce pietatis opus, finemque ſub unum
Omnia collima, vigila, moderare profanis
Motibus ex animo: poſt hæc attende medelam.
Eſt in Vineola Panaces, quam ſemine divo
Virgineæ telluris alit bene cultus agellus;
Nectaris irriguam pluviis, & rore ſerenæ
Noctis; & ambroſiam cortex diffundit olentem;
Fronde viret tenui, neque ramus in aëra fructûs
Oſtentat: flores ipſos umbroſus opacat
Ceſpes, & occultá totum virtute caleſcit.
Inſequitur Lunam radix, Solemque cacumen,
Sydereasque faces tenebris delibat anhelis.
Ipſa peregrinos fruticis juvat umbra; beatum
Reddit Herum vitæ lignum, pretioſaque fruges,
Hisque ſaginatus dapibus, vel millia morbi
Spicula ſubſtineat, facili depellere noxas
Prævalet antitodo. Qui quærit & invenit, infra
Se tenet. O felix taceas, nanciſcere, totum
Mitte, nihil cupias. Super omnia ſufficit Unum.

OPUS

OPUS SEXTÆ DIEI.

Textus.

24 *Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terræ, ſecundum ſpecies ſuas, factumque eſt ita.* 25 *Et fecit Deus beſtias terræ, juxta ſpecies ſuas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo. Et vidit Deus quod eſſet bonum.* 26 *Et ait, faciamus Hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram; & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, univerſæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.* 27 *Et creavit Deus Hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum: Maſculum, & Fœminam creavit eos.* 28 *Benedixitque illis Deus, & ait: creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur*

 ſuper

ſuper terram. 29 Dixitque Deus: ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam. 30 Et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & univerſis, quæ moventur in terra, & in quibus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum. Et factum eſt ita. 31 Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Et factum eſt veſpere, & mane Dies ſextus. Geneſ. cap. 1.

Terreſtrium Animalium Creatio.

VLtima lux operis circumſpectura creatos
Terrigenas, ſextum properabat ab Æthere curſum;
Cum Deus edixit luteo de pulvere ſenſus
Aptari Brutis. Primò genus omne ferarũ
Surgit humo; Pratis armenta, gregesque vagantur
Quadrupedum ſpecies, intonſaque gramina carpunt,
Bos, Ovis, Urus, Aper, Cervus, Caper, Ictis, & Alce,
Rhinoceros, Elephas, Dromedarius, atque Camelus.
Atque petunt ſylvas audax Leo, Tigris anhelans,
Pardus inhumanus, Lupus, Urſus, Hyena voraces;
Antra petunt Angues, Cenchris, Baſiliſcus, & Aſpis,
Reptilium ſpecies, Natrix, Seps, Diſpas, Orhites,
Ammodites, Scythale, Præſter, Salamandra, Paræas,
Amphyſibena, Ceraſta, Draco. Licet omnia raptim
Commemorem; datis hanc veniam tyronibus; alter

Me

Me vocet in pugnam. Dicat num prima duobus
Bruta ſuam ſpeciem tulerint, an plura Creator
Protinùs explicuit mundo? Mas, Fœmina proli
Sufficiunt: non eſt opus exemplaria primo
Multiplices generi, ſpecies cum poſſit ab uno
Pandi principio, quod ſit conformius ipſi
Naturæ humanæ. Lateant myſteria primæ
Sortis, & in Brutis quoniam genitura tacetur;
Ex Hominis thalamo ſatis innoteſcere debet.
Nonne parem tribuit cunctis Animalibus eſcam,
Herbarum ſegetes, olerumque virentia campis
Semina, lignorum fructus, & germina frugum?
Quin etiam nulli prædam concordia ceſſit;
Innocuum pratis, ſylvis pecus omne cubabat;
Non canis infenſus lepori, damæque fugaci;
Non avibus panther; martes non muribus obſtant;
Non lupus inſidias Onagro molitur, & Agnis,
Et ſua jura tenet brutorum quodlibet, illis
Prædominante Viro, pacemque jubente viciſſim.
At poſtquam ſine lege Viri, ſine principe regnant,
Inceſſit feritas animos, & dira cupido;
Terribiles rictûs acuit furor, ira frementes
Faucibus inſpirat ſonitûs, & funera morſu.
Cornibus hæc acris, petit unguibus illa rapinam
Bellua, quemque ſemel delibavere cruorem,
Fundere feſtinant, & jam didicere ferinam
Eſuriem, primamque Deus quam tradidit eſcam
Contempſere. Solum tribulis ſterileſcere juſſum
Impulit in rabiem vacui jejunia ventris,
Ut nunquam expertos delectent paſcua dentes:
Si Diomedis Equos humana carne ſagines,
Abſtineant ab Hero? fert hinc Anthropophagis mos
Barbariem: primo niſi comprobet ore ſaporem,
Neſciat Ichneumon paſci ſerpentibus; odit
Lynx herbis aſſuetus oves depellere ſeptis.

Pax erat, & ſaturos pacabat copia ſenſus,
Nullum irritabant necis infortunia monſtrum;
Ignorabatur dolor, ultio, læſio, cædes.
Nulla voluptati parebant jura: voluptas
Jus erat. Humano parebant omnia juri,
Cum ſtetit integritas Hominis, ſubjecta Tonanti.
Sed tamen impariles genios natura creavit
Pro quibus impariles eſuris condidit herbas;
Nunc autem violata Dei lex, fœdus amoris
Confuſum lites, inimicitiasque reliquit,
Quas ingens labor, & virtus, & ſæva tyrannis
Non valet ingenii ſtudio compeſcere multo.
Vertitur in vitium crimen, vitiumque ſeneſcit
In quaſi naturam: vitiatus origine ſanguis
Spargitur in prolem: quid enim verſutia vulpes
Erudit in cortem? meditatur aranea muſcas?
Muribus illudit felis? Viverra cuniclis?
„ Torva Leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam?
Naturalis amor, quo quidlibet eſſe, ſuique
Sorte, bonoque frui lætatur, & appetit, & ſe
Munit ab oppoſitis, brutis animalibus omnem
Suggerit inſtinctum: ratione carentibus æger
Eſt amor, & proprio ſeſe conformat alumno.
Da mihi vel ſimplex, vel mixtum corpus, & expers
Mentis, id eſſe, quod eſt; vivens ita vivere vitam,
Quam vivit, ſentire cupit quod ſentit & ipſum
Hoc animal; petit eſſe, quod eſt per tempora quodvis.
Hoc ita principio, quod natum eſt eſſe, tuendi,
Non curant aliena feræ, contraria vitant,
Congrua naturæ quærunt alimenta regendæ:
Prima ſui cura eſt, quam mulcet amica voluptas,
Cura voluptatis motu ſtimulata quietem
Efficit expletis deſideriis animorum;
Subſequiturque dolor. Non eſſe poteſt diuturnum
Corporeum oblectamentum; quia robora carnis

Motu

Motu deficiunt, reficique levamine poſcunt.
Ergo ſuum metitur amor brutalis amantem:
Quale ſit hoc brutum, ſe non excedat oportet,
Utque ſit impatiens à ſe non poſſe potiri
Munere vitali, circum quæ comperit, optat
In ſe converti, modo ſe conſervet amatum.
Sed tamen extra, quibus fuerint compacta turundis,
Sympathicas inhiant epulas, & conſona fibris
Paſcua: manſuetis ſubolent viridaria, ſævis
Præda placet, quia non explet levis eſca voracem
Ingluviem, calidoſque ſinus; molliſque palatum
Non movet herba ferum; quid tū lupus Oeſypa ſentit,
Et terit inſipidum naſo fumante viretum?
Quid rutam muſtela legit, lac Vipera fugit?
Talpa fugit lucem, vocat ore Galanthida buſo?
Lis elementa tenet: Lis corpora miſta gubernat:
Quicquid ab his oritur, ſimili ſi ſemine natum,
Lite carere poteſt; ſi diſpare, diſſidet actu.
Derivata patrum naturam monſtra ſequuntur:
Simia quid catulos doceat? quem prefferit ulnis
Enecat affectu: norint præſepe jugales,
Norit equus Martem, norint armenta bubulcum;
Non modus eſt liber, ratio non ſuppetit illis.
Qualia naturâ Divinus condidit Author,
Talia ſunt; uſu ſed deteriora maligno.

Hominis Creatio.

Sic igitur venerata Dei mirabile munus
Feria ſexta operum jam complementa ſuorum
Exultat ſpectare, quibus quem propter adortus
Viſibiles mundi ſpecies, cœleſtis in uno
Figmento Plaſtes carnem, mentemque jugaret:
Vivificans Hominem, cui ſit communiter eſſe;

Vi-

Digitized by Google

Vivere cum plantis, cum brutis pangere ſensûs;
Et cum ſpiritibus puris intendere finem.
„ Cumque gerant pronos Animalia cætera rictûs,
„ Os Homini ſublime dedit, Cœlumque tueri
„ Juſſit, & erectos ad Sydera tollere vultûs.
Hoc Opus ex operum cumulo producere primum
Conditor intendit, cui cum compendia rerum
Prætulerit verbo; ſtudio majore videri
Detentus voluit; formans exordia gentis
Ex limo terræ tribuit ſpiracula vitæ; [a]
Ut quod humus fuerat, ſit Homo ratione decorus.
Ecce autem Deus imperio congeſſit agreſtem
Corporis effigiem, qualem vigilata Myronis
Obſtupet ars, membris aptantur membra, ſuperſunt
Oſſibus oſſa, ligat nervis junctura lacertos;
Articulis digitos, ventres & viſcera complent.
Stare pedes plantis, pedibus conſiſtere talos,
Talis crura dari, ſuras & cruribus addi,
Poplitibus, genibusque femur coxendice jungi,
Produci dorſum, coſtis aſſurgere pectus,
Brachia connecti ſcapulis, cervice ſupremum
Diſtendi caput, & capiti pendere capillos.
Nullus apex deerat ſimulacro, linea nulli
Conſummata pilo deerat. Pulcherrima viſu
Norma Damaſcenis animalia cætera glebis
Exprimit, afflatu TRIADIS ſpirata movetur,
Et ſuperos imitata duces Homo mente refulſit.
Quicquid enim eſt & ſine ſui conſtringitur uno,
Ex uno cæptum credas, & ab ordine primo
Multiplicem ponas numerum; ſine fine repugnat
Motus in æternum, quia quod ſatis eſt, ſine motu

Cun-

---

[a] Gen. 2. 9. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo Terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt Homo in Animam viventem.*

Digitized by Google

Cuncta movet, ſed mota ſimul cæpere moventis
Principium definitum, motumque creatum;
Tale quod eſt igitur, per ſe non eſſe neceſſe eſt.
Rurſus ab ingenito genitum procedere primo
Comperies, ne ſit proceſſus in infinitum,
Dum genitus genitum generat; fuit ergo neceſſe
Quod Deus ex nihilo produceret omnia, certo
Tempore, quod rerum ſerie diſcriminat ordo.
Verum inviſibili mundo quid opus fuit Orbis
Viſibilis? quia quod ſatis uni ſufficit omni
Contemplativæ menti, quæ pendet ab Uno.
Ergo alium propter finem fateare creatum
Viſibilem mundum: veluti ſi mobile ſimplex
Propter compoſitum, vegetum ſi mobile propter
Senſibiles ſpecies: Animalia bruta ſuper ſe
Cognoſcunt Hominē, propter quē mundus hic extat.
Inter enim res viſibiles non eſt aliud quid
Nobilius, non eſt aliud præſtantius illo.
Propterea Deus hæc Homini ſuper omnia ceſſit
Imperium, doniſque animum potioribus auxit,
Ut ſciret quæcumque videt, propriiſque vocaret
Nominibus, ſcitiſque Dei ſecreta notaret.
Nec ſatis hoc; Heminem reſperſit gratia magnis
Muneribus, ſine mente foret cum condita mundi
Machina, mens Hominis mundum complevit apertum,
Ne mens materiæ deſit vicina propinquæ:
Nam mentes aſſiſtentes ſunt mole remotæ
Et mens juncta Viri compagibus, incola compos
Corporis, hunc æquat mundum; traſcendit eumdem
Divinis donis, in ſe gratiſque receptis.
Sed Deus arcano meditatus conſilio res
Viſibiles, inviſibiles ſociare ſub uno
Principe, naturam quoniam provexit Adami
Cum Verbum cæleſte dedit conjungere carnem
Cum Deitate ſui? tunc eſt impleta poteſtas,

Vis

Digitized by Google

Vir Deus ut mundo Chriſtus regnavit utrique. *a*
Ergo Vir imperio mundi, rerumque potitus,
Participem Deitatis opem, & munimen adeptus
Ducitur in terræ fælicia culta beatæ,
Quos colat, & vigili ſtudio cuſtòdiat hortos.
Hîc erit alma quies, hîc fortunata voluptas
Delicias nemorum, Floræ flagrantis odores,
Irrigui fluvii fontes, ſuaviſſima vernæ
Pignora Pomonæ, patulas ex frondibus umbras,
Ex zephyris auras mites, ex luce dierum,
Perpetuas, alacresque moras donabit abundè. *b*
Hìc avium cantus, cicurum ſubmiſſa ferarum
Blandimenta, gregis muti vivaria, lactis
Dona, favos mellis ſenſu guſtabit amæno.
Vir ſapiens, & mente Dei conſortia felix
Excipiet: quid plura? Parem, ſimilemque ſibimet
Ne cupiat ſociam: placidum dormire ſoporem
Cogitur, & coſtâ mulier deducitur Heva.
O utinam ſteterint! ò terque, quaterque beata
Poſteritas! Lethale nefas jam livor Averni
Evomuit, mortiſque notas in origine preſſas
Humano generi ſerpens verſutus inuſſit.
Inde autem, vitiata velut radicitùs arbor
Progeniem infectam ramis creſcentibus edit,
Sic Homo devovit morbis, lethoque nepotes,
Et mox indicto rerum certamine, quaqua-
-verſus ſuccumbit ſceleri, pœniſque malorum.

Ani-

---

a Matth. 28. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in Terra.*

b Sapient. 2. 23. *Deus creavit Hominem inexterminabi-*
...

Anima Hominis immortalis.

Attamen hoc Hominis luteum, quod corpus adegit,
Haud Animam tetigit, quamvis ſpoliaverit omni
Munditie; natura ſtetit, quam mole ſolutâ
Carnis ab interitu præſervat origo ſuperſtes.
Bruta quidem pereunt, fuerant peritura priusquam
Juſtitiam violaſſet homo: ſed morte dolenti
Non mortale ſonat quod ineſt, carnalia præter
Organa; nam latè mens, ac in utrumque voluntas
Libera conſilium faciendi, non faciendi,
Cum non materiæ mutabile plaſma ſequatur,
Corporeos autem promptè dominetur in artus;
Spirituum ſortem capiat, nec morte peremptum
Corpus, & hoc animus buſto conclamet inanis.
O Deus, ò miris, hominum Pater optime, vinclis
Summa ligans imis, immortalemque caducis
Nexibus aſſocians Animam, quam terrea neſcit
Compages formare ſuo de ſemine, quam Tu
De nihilo ſpiras (neque enim valet embryon altum
Concipere ingenium, niſi Te Duce Spiritus adſit)
Quas ego perſolvam grates? quas impare laudes
Ore feram? quibus ipſe modis ergaſtula rumpam
Carnis, & officio fungar meliore canendi?
Artifici compacta manu ſi clepſydra motum
Exhibeat, variisque rotis, dum guttula furtim
Lapſa per amfractus laterum præponderat axes,
Pendulus hinc index vibret momenta diei,
Indicet hinc horas, & tintinnabula pulſent,
Et mentita ſuos perluſtret Cynthia menſes,
Et ſtimulata ſuo per ſigna feratur in anno
Phœbus, & in parvo Cœlos globus orbe volutet,
Quale Syracuſii ſpecimen Senis arte refulſit.

Sic

Digitized by Google

Sic Animal vitæ motûs habuiſſe Creantis
Arbitrio, formamque parem: ſed plurima prolem
Inſuper humanam decorant, ubi ſpiritus ipſum
Organicum corpus penetrat, velut incolit ædem,
Quæ ſibi debetur, naturæ jure locatam.
Inde migraturus, paries cum carneus urget
Excidio molis formam, quò non ſuus ultrà
Lar maneat, diviſus herus ſua tecta relinquit. a
Quippe vides Animas brutorum mole ſolutas
In tenues fumare auras, privataque vitâ
Corpora, cum primùm motus vitalis in ipſis
Obruitur: ſenſûs omnes ſua munia perdunt
Seditione ſitus, cordis quæ præpedit actum.
Et quia materiæ poſitas hoc ordine partes
Vivificus formæ nexus, numeruſque regebat,
Si ſemel amiſſas nequeat reparare, peribit
Hoc opus à tali dependens conditione
Materiæ: ſed Homo ſenſus deperdet ab ipſa
Quos regit: at mentem nunquam deperdere poſſit,
Quam non materies indit. Supereminet omnes
Brutorum ſpecies Hominum lectiſſima proles?
Unde probas? habet in ſenſu communia brutis;
Ingenium ſpeciale, capax, ſublime, decorum,
Quod, niſi ſponte velit, nulli ſe ſubdit; in altas
Erigitur curas, ſpatiatur in omnia rerum
Tempora, tranſcendit ſpecies, genera ultima, ſummas
Notitias entis, tum ſpiritualia captu
Percipit, & Numen naturæ lumine novit:
Quid ſimile eſt illi? quæ bellua talia profert,
Arte, ſcientifica methodo, rationis & uſu?
Mens igitur ſolers hominum ſupereminet omnes
Brutorum ſpecies: quod ſi mortalibus annis
Interit, unde ſui vita meliore fruatur?

Ergo

a 2. Petr. 14. *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei.*

Digitized by Google

Ergo mens hominum defunĉto corpore vivit.
Inſuper attendas immaterialia dici,
Quæ ſine materiâ poſſunt operarier; & ſi
Sic operantur, habent ita ſpiritualiter eſſe,
Quod ſine materiâ poſſit ſubſiſtere ſemper;
Namque ſuum ſequitur quæcumque potentia robur.
Materiale igitur cum ſit mortale ſolutu,
Immortalia ſunt immaterialia nexu.
Sed ſine materiâ plures intelligit actus
Mens hominum, ſine materiâ vult, cogitat intus,
Organicis abſtracta modis, & concipit almas
Spirituum vires, horrens phantaſmata molis.
Ergo mentis opus, cum non ſit materiale,
Spirituale voces: ergo immortale ſequatur
Eſſe poteſtatis, qua corpore vivit in ipſo
Nobiliùs certè, quam bruta Animalia vivant:
Ergo mens Hominum defunĉto corpore vivit.
Præterea deſiderium quodcumque petenti
Non eſt incaſſum: natura quod appetit, infert
Eſſe, quod appetitur: ſi vota frequentia nullus
Conſequeretur amor: vel deſinat eſſe, vel illa,
Quod fieri nequeat, nunquam natura movebit:
Cum verò à brutis nihil immortale petatur,
Mortales animos ſenſus manifeſtat in illis:
Atqui mens hominum per ſæcula cuncta fatigat
Immortale decus: nomen ſua vota laceſſunt
Æternum, celebrem ſudant ſuſpiria famam:
Quam ſi pertentet latè proferre caducis
Rebus, adhuc majus rebus deſiderat iſtis;
Non ſatis expletur, quem gloria tangit in ævum;
Et mundo major vitam quoque ſpiritus ardet
Majorem; immenſo ſatiabile Numine votum.
Ergo mens Hominum defunĉto corpore vivit.
Cernis ad hæc brutis nullum pro Numine cultum
Eſſe; Viros omnes pro religione labores

Inſti-

Digitized by Google

Inſtituiſſe graves; & quamvis turpiter erret
Vana ſuperſtitio; tamen inter falſa relucet
Omnibus, eſſe Deum ſummâ pietate colendum.
Si Deus eſt, caſus non eſt, ut diximus ante,
Providus ille videt plures decedere vitâ
Mortali, mulctâ dignos, aliosque merentes
Præmia: juſtitiam quisnam morientibus æquâ
Lance putet, ſi mens tenues vaneſcat in umbras?
Cur animos adeo veri quæſita momordit
Anxietas? morum probitas, cultura ſacrorum?
Sancta fides docuit poſt hæc mortalia ſummam
Eſſe voluptatem juſtis, & ſontibus ignes.
Quod fuit à primis clarum, rationis abuſus
Reddidit obſcurum: Deus eſt pietate colendus:
Ergo mens Hominum defuncto corpore vivit.
Nonne Deus juſtus, ſummæ bonitatis amator,
Et transfert ſua vota piis, & cædit iniquis? *a*
Eveniunt æquè cunctis, & ſæpe laborat
Juſtus ab iniuſtis, merces ut recta futuro
Judicio detur, meritis & vita perennis.
Spiritus ipſe Hominis TRIADIS cæleſtis imago eſt,
Cumque ſit una rei natura, potentia triplex
Eſt, memorat rerum ſpecies, intelligit, & vult.
Quanta capit memori cerebro? non clauditur ullo
Fine; ſeneſcentem comit ſapientia major
Canitiem; longâ creſcit probitate voluntas,
Cum jam decreſcunt vires, & deficit ætas:
Non Animæ requies, non terminus eſt, niſi ſummâ
Pace frui poſſit: verax Deus eſt ſibi ſolus
Terminus, & requies: Deus omnia ſolus adæquat.

Ergo

---

a Eccl. 9.2. *Omnia in futurum ſervantur incerta, eo quod univerſa æquè eveniant juſto, & impio, bono, & malo, mundo, & immundo, immolanti victimas, & ſacrificia contemnenti &c.*

Digitized by Google

Ergo mens Hominum defuncto corpore vivit.
Quin etiam quandoque Animæ de corpore lapſæ
Vivere demonſtrant ſeſe mortalibus ægris,
Aut Lemures ſimulant, turbantque timore Penates,
Aut ſupero ſplendore hilares cæleſtia pandunt.
Senſibus amiſſis, non perditur intellectus.

Cognitionis humanæ Principia.

At quamvis primævus Adam de pulvere ſumptus,
Heva parens ex oſſe Viri deſumpta virago,
Cælitùs infuſis fuerint virtutibus aucti;
Cum tamen exciderint culpâ, per originis hauſtum
Saucia poſteritas biberit lethale venenum;
Prodit homo nullo pictus phantaſmate Veri.
Quid ſciat ex utero? vagitibus indolet infans,
Senſibileſque vices tactu prius excipit, inde
Auditu, guſtu, olfactu, tum denique viſu.
Atque Hominum, rerumque docent conſortia primùm
Notitiam, quam paulatim corroborat ætas;
Senſibus externis internos icone ſensûs
Afficiens, mentemque replens collatio rerum
Erudit, & longo patientem tempore fingi
Intellectus agens ſeſe manifeſtat in actus.
(Nam ſolum intuitum ſpoliatus corpore profert,
Qualiter ens nudum ſi mens abſtracta tuetur)
Apprehendit, confert, diſtinguit, judicat, infert,
Enumerat, narrat, quod habet ſub ſimplice viſu
Corporis, in plures oſtendere cogitur actus.
Quippe movet ſensûs ante omnia prima cupido
Vivendi, cujus ſtimulis objecta capeſſit,
Capta recordatur, magis hinc Homo vota recudit,
Ex votis vires, ex viribus aucta voluptas.
Non aliam teneat methodum Doctrina; volentem

 Exci-

Digitized by Google

Excitat eventus; mentem movet intus, & extra
Quodlibet. O felix quem pulcra, decora, probata,
Lecta foris formant teneris ex unguibus! illi
Præceptor bonus uſus erit, ratioque loquendi;
Rhetorices, logices, & ſemina prima bonarum
Diſciplinarum ſpargit bene copia fandi,
Quam legit auditu pubes; mos rectus agendi,
Quem capit intuitu; vitæ moderatio, praxis,
Quas tactu, guſtu conſueta frequentia fingit.
Mox in gymnaſiis operam navare Minervæ
Pervigilet ſtudioſa juventus: ordine certo,
Carpat iter docti credens in verba magiſtri,
Quam velit ante ſuis ſcrutari viribus artes
Ingenuas; juvat hoc humilem, docilemque ſcientis
Nolle ſupercilio faciles confundere normas.
Ille autem confuſa prius, generalia captu
Digerat, inſinuet notis ignota, relinquat
Ardua deciſu, nil tradat inutile ſcitu;
Ter Magis Eſſe Velit, Siquis Velit Eſſe MagisTer.
Maturo veſtigantur faſtigia ſenſu.
Creſcit amor ſtudii, quantum ipſa ſcientia creſcit.
Ex his principiis jubeo conferre viciſſim
Res apprehenſas, collatas diſtinguere; nam rem
Definire, quid eſt, tenet ultima ſumma ſciendi.
Quandoquidem ratio demonſtrativa quieſcit
Re definitâ, quam mentis viſio totam
Pervadit, penitus notis ignota penetrans.
Sed diſtinguendi, res quomodo differat à re,
Principium fuerit rerum diſcrimen, & actus.
Mens etenim dirimens re, vel ratione recenſet
Singula: ſi reperit diviſa, realiter eſſe
Diſtincta affirmat; vel ſi quoque ſcindere poſſit,
Et maneant extrema, ut pars à parte ſecatur.
Sic etiam oppoſitis ſimilis diſtinctio veris
Detur, & hac major, ſi ſit privatio formæ,

Sive

Digitized by Google

Sive negantis idem contradictoria verbi;
Ut lux & tenebræ, leo non leo; ſive relata,
Et quæ dicuntur contraria, ſcilicet illa,
Quę nequeſit ſimul eſſe; quibus quoq; nõ eadẽ eſt ſors.
Ut cauſa, effectus; frigus, calor; ignis, & unda;
Filius, atque Pater. Sed enim tamen unica totam
Vim diſtinguendi contradictoria præbent.
Et cognoſcendi modus addidit entia rebus.

De Categoriis.

HInc bene Pythagoras deno diſcrimine rerum
Jura, Categoricos fontes invenit; & omne ens
Transcendens, res, unum, aliquid, verumq; bonumq;
In per ſe ſubſtans, & quod ſuper accidit eſſe,
Diſtribuit; quod nempe quid eſt ſubſtantia, per ſe
Subjectum hoc, in quo ſit quantum, quale, relatum,
Actio, paſſio, ubi, quando, ſitus, & quid habere.
At licet hæc nobis rationis acumen adeptis
Occurrant diſtincta, ſuis ut poſtulet artem
Claſſibus aſſumptum tractari thema capacem:
Non tamen id ſemper natura fidelis in unguem
Exigit, ut tales prætextas induat in ſe;
Conſequitur ſe ſorte ſuâ. Quod ſenſibus hauſit,
Hoc eructat Homo; divinaque legibus iſtis
Non ſubjecta ſuo tractat ſermone togatus,
Et removere ſtudet, quod concipit eſſe remotum
Mentis ab humanis conceptibus, & tamen hæret
Dicere, quod didicit: multis ambagibus unum
Judicat, incuſans idioma, modumque ſciendi.
Conſequitur ſe ſorte ſuâ. Quin ſimplice gaudens
Integritate, rogat mentem ſterileſcere ſenſu,
Quæ ſe multiplicat; ſic mens abſtracta per omnes
Dum ſenſûs attingit idem, diverſa vocari

Digitized by Google

Juſſit, & ut ſubſtans, quod non eſt, credidit eſſe.
Fiat id exemplis clarum. Subſtantia corpus,
Eſt quoque non corpus, veluti ſine corpore mentes.
Si corpus, quantum; ſi quantum, quale; quid ergo
Linea, vel numerus? color, & ſapor? ecce ſuapte
Naturâ concreta, velut ſubſtare feruntur:
Namque ea ſubſiſtunt, quorum collimat in unum
Suppoſitum ſpecies, juxta exemplaria prima,
Quæ Deus expreſſit: quantum ſine corpore non eſt,
Si naturales nexûs intelligis: immo
Eſt ipſum corpus quantum; ſed quatenus ipſum
Ordine confertur, numerabile: quatenus ipſum
Menſuris capitur, ſit menſurabile; totum,
Cum partes ſimul expendes: ita quatenus ipſum
Eſſe figuratum dices, hoc limes obumbrat.
Tranſgrederis tua jura: Deus cum dicitur ingens,
Magnus, & excelſus, qui non eſt quantus; & inde
Corriperis, virtute Deus cum dicitur ingens,
Magnus, & excelſus, non mole: magiſque ſapis, cum
Dicitur immenſus, finique ſilentia ponis.
Non aliter mentes, quas nullâ molle creavit
Implicitas, magnæ dicuntur, & integra virtus
Dicitur ipſarum; neque partilis eſſe probatur.
Omnia corpus id eſt, formaliter omnia non eſt
Unum ſuppoſitum, quod mens ratione capeſſit
Diverſâ, quæ cum ſit carcere clauſa, feneſtris
Reſpicit ex variis ſubjectum, ut pictor eamdem
Pingit imaginibus variis, variante figuram
Reſpectu: ſed idem eſt quantum, quod quale vocatur
Lene, coloratum, ſapidum, reſonabile, odorum;
Scilicet illud idem, de quo dicuntur & actus,
Eſt eadem radix, eſt unum ſuppoſitum, ſed
Multiplices corpus profert formaliter actus.
Et quodvis aliud ſimiles de corpore formas
Senſibus obiiciens, quas mens attingere raptim

Non

Digitized by Google

Non niſi cancellis ſenſûs aſſueta, vocavit
Senſibiles ſpecies abſtracto nomine, tanquam
Quid per ſe ſubſtans, & inhærens mole receptum.
Hinc ratio diverſa rei diſtinguit in uno
Subjecto plures actus, quos copulat ipſi
Judicium concretivè; formaliter autem
Non ita; nam plures actûs oriuntur ab uno.
Non aliter concretivè ſua qualia mentes
Excipiunt actu, ſi ſint finita creatis
Jura; ſed abſtractè non ſic; quia nomina formam
Immenſam dicunt abſtracta, Deoque ferendam,
Si nihil implicitum ſenſu, nexuque reportent.
Ergo color corpus non eſt; cur dicitur ergo
Quantus? id abſtractè nota ſubſtantiva recudit,
Corporeumque facit, quod inhæret corpore, tanquam
Suppoſitum, de quo dici ſibi congrua poſſint;
Et ſic de reliquis, ut odore, ſapore, calore.
Sed Deus hæc refugit dici, dum ſuavis, amœnus,
Dicitur & dulcis, ſpecioſus, & omnia: præſtans
Per ſuperexcedens hæc omnia robur honoris.

Sic age, ſi referas aliquid, quod nam eſſe relatum
Dixeris? Ens ipſum quod in altera mente reportas
Entia, dumque notas aliquid ſic eſſe, fuiſſe;
Aut factum, aut feciſſe, nihil demis, nihil addis
Suppoſito: momenta rei ſuperaddita manant,
Integra res eſt; ſed tum mente relatio ſurgit,
Cum capis hoc ipſum, quod præterit illa relatum;
Nempe relativis eſt mutuus ordo viciſſim,
Qui ſimul eſt; illum ſi mens abſtraxerit, ipſis
Tertia res fuerit, quam diſſociaſſe relatis
Eſt inconveniens: miſeræ ſed parcito menti.

Quod magis obſcurũ dictu, cape; quomodo nobis
Adveniant rerum ſpecies, ſenſuſque ſub omnes
Illatæ cellis latitent, memorique recurrant
Judicio, ſubeantque rei ſimulacra remotæ.

Digitized by Google

Utque canam citiùs, patiens quem ſuſcipit actum,
Hunc dat agens, & idem ſunt actio, paſſio, binis
Mutua ſubjectis, & ſunt hæc corpore motus:
Et motus labens diſtinguitur, ut modus à re,
Qui perit, uſque loco maneat res, atque locetur
Hinc UBI reſpectum profert: ita tempore ſignat
QUANDO vices rerum: Situs eſt modus ipſe locatis
Partibus impreſſus, motuque relictus in ipſis.
Imprimit ergo ſuam motu ſiſtente figuram
Mobile, quam recipit patiens, ut cera ſigillum.
Senſibus has ſpecies veſtigia preſſa relinquunt;
Spectraque perceptis delata ſimillima rebus
Veſtibulum proprium pulſant, aditusque repoſtos
Pervadunt, oculos lucentia ſigna ſigillant;
Excipiunt aures motum, motusque tremorem,
Et ſonus eſt illis, nares rimantur odorem;
Contrectant epulas fauces, vinumque pitiſſant,
Et ſapor eſt illis; & in abdita ſcrinia tactu
Truditur exemplar, veluti percuſſa bacillo
Æra tremunt, referunt longos confinia bombos.

Modus intelligendi.

Non ſecus appulſu ſensûs animale cerebrum
Evigilat, nervis recipit trepidantibus ictum,
Icona membranis pingit: mens integra pleno
Percipit intuitu quicquid movet, atque movetur
Indolis auſpiciis; quia nata videre ſub illo,
Et contemplari latas velamine formas,
Eſt oculus vivax, ſimplex, & lumine fulgens.
Materiale nihil tamen in ſe paſſa locari,
Non eget his formis per ſe, quia luce videndi
Prædita in objectum ſi ſe convertat apertum,
Jam videt; impediunt ipſam ſed corpore vittæ.

Prop-

Propterea ſpecies ſubeunt ſpectacula rerum,
Et depuratæ veſtigia preſſa relinquunt
Veſtibulum ante ipſum mentis, quæ tangit eaſdem
Innatâ viſûs acie, proprioque nitore.
Si careat ſenſu, rerum præſentia mentem
Occupat arbitrio, quo ſe movet æqua poteſtas.
At per tranſennas capiti patet unica mentis
Rimula, qua videat, qua ſe movet arbitra ſurſum,
Et jubet inferius corpus; nec mole ligatur,
Quando ſe vult, atque intelligit: extera verò
Quomodo percipiat, niſi per ſpiracula ſenſus
Ingerat, & ſimili reddat præſentia vultu?
Scilicet obiectum ſupplent ſignacula diſtans,
Ad quæ converti perhibent phantaſmata mentem,
Res intellectas fieri, dum mutat in omnes
Se rerum formas intentio mota volentis.
   Hæc itaque ingenii mutatio, propria mentis
Actio nil aliud, quam ſe fortaſſe requirit;
Namque secùs ſpecies numero tot, mole fruentes,
Indiviſibili quò ſeſe mente reponant?
Hærenteſque ſimul latitent, ſimul ordine prodeant,
Continuoque ſimul non mens intelligit actu?
Intellectus agens, patienſque quid eſſe putetur?
Mens eadem, quæ ſpectra movet conformia rebus,
Mens eadem, proprio quæ ſe conformat in actu.

Accidentia poſſe à ſuo Subjecto ſeparari per Divinam Potentiam.

SEd contra objicies. Siquod ſimul accidit enti,
Separet Omnipotens, & ſit ſine corpore quantum,
Et ſine ſubjecto conjuncto quale; quid inquis?
An fuerint unum res, quantum, & quale putabis?
Unum ſuppoſitum, de quo dicantur eodem

N 4 Quan-

Digitized by Google

Quantum & quale modo, jam non erit; ergo fit alter
Dicendi modus, & ratio venit altera rerum.
Eſto Deus rerum naturam tollat, ut Author,
Quid ſequitur? ſpecies ſublato corpore ſervet;
Præſtet ut agnoſcant aliena veſte togatum;
Quod non eſt, ſenſus capiant: quid fecerit? auferé
Per ſe ſubſiſtens, & cognita quæque relinquit
Senſibus opponi; vel in his quoque cognita condat,
Vel nihil; agnoſci rebus ſic accidit, ipſis
Accidit amotis ſervari ſpectra, figuram,
Quicquid in effigie poterat conſiſtere motâ.
Non eadem res eſt, quia jam diviſa, nec uni
Subjecto conjuncta poteſt contermina dici.
Sume tibi ſpeciem: rutilans intelligis aſtrum?
Quod ſentis ſpecies eſt aſtri, non tamen aſtrum. a
Nam ſenſus capiunt tantum, quod rebus inhæret.
Amoveat Deus hoc aſtrum, ſpeciesque reſervet,
Cernis idem ſpecie, ſed non intelligis aſtrum.
Non intellectu ſenſus conjungitur; ergo
Dices, cognitio res eſt? non aſſero, cum ſit
Diverſum mens, & ſenſus; ſtat ſenſibus ergo
Cognitio virtute Dei ſervantis eoſdem
Naturæ modulos ſine re, vicibusque tegentis

Ad

---

a *Eodem modo video ſpeciem Panis, & non Panem in Sanctiſſimo Eucbariſtiæ Sacramento; neque Oculus immutatur conſecratione Panis in Corpus Chriſti; ita ut ante ipſam, & poſt ipſam idem objectum appareat vi ſui; quia videlicet viſus immediate attingit ſpecies, & accidentia rerum, & non res ipſas; & ita ſunt alii ſenſus, & Plato in Phædone ait; non eſſe quæ videamus ſyderum corpora, ſed radiorum quaſdam reflexiones in aere, ſimilem ſyderi ſpeciem referentes, ſicut in profundo agentes Piſces, videant in aquæ ſuprema facie, non ſydera, ſed imagines ſyderum, (& ut ſic dicam) radioſas umbras.* Ex Cælio Rhodig. lib. 1. cap. 15.

Digitized by Google

Ad libitum ſenſûs latis; ſubſtantia quanta
Dum perit, & qualis, vel in altera vertitur ora.
Nonne modis aliis eadem cognoſcere poſſes,
Si referet ſenſûs alios Deus? indene creſcent
Entia ſuppoſito? fiet nova notio tantum,
Sic etiam anguſto partes penetrentur acervo
Credideris, corpus ſubſiſtere partibus expers?
Non ita. Concludas igitur divinitùs iſthuc,
Quod ſine re poſſit ſervari notio ſenſûs:
Res quoque mente capi propriis exuta figuris.
Sed natura rei ſit, concepiſſe ſub uno
Quicquid ineſt viſu, quia res eſt una: perinde
Multiplicat ſenſus, quam mens intelligit unam.
Cernis, ut à motu circumducente favillam
Igneus efficitur circus, quem credere poſſis
Undique ſpirantem flammis; & id accidit ignem
Apparere oculis, ubi non eſt ignis; at ultra
Quam fieri poſſit naturæ viribus, Author
Naturæ faciat, quidnam mirabere facto?
Spiritus has etiam ſpecies cælatus adornat,
Quas neque ſe circa dicas hærere, neque ipſum
Aëra; ſed noſtro potius clareſcere ſenſu.
Quod contingit ibi, quod non eſt, poſſe videri
Sic eſſe, & propriè nulli conſtanter inhæret
Subjecto, abſtracta noſti ratione remotum,
Senſibus addictum, ſecus eſſe fatebere mecum:
Nam licet haud inſit; ratio tamen arbitra ſenſûs
Dicit ineſſe rei, quam mens intelligit eſſe.
Multiplici medio ſentimus & intus, & extra,
Sic intelligimus: res intellecta priuſquam
Attigerit mentem, vicos traducta per omnes
Multiplici variat veſtigia preſſa notatu.
Ipſa per aſpectus varios res mentibus infert
Multiplicem ſpeciem: petit intervalla, ſuoque
Corpore dividuos depingit in aëre fucos.

Cum

Digitized by Google

Cum quod adeſt & abeſt non ſit ſubſtantia, corpus
Diſpereat quantum, quid non quoque quale peribit!
Et tamen ecce tibi præſentia ſpectra vagantur,
Atque vides ignem, qui non eſt amplius ignis,
Vocem audis hominis, qui jam ſilet, atque ſaporem
Delibas vini, quod non eſt amplius illud.
Quid de naturæ his vicibus meditabere? cauſas
Cuncta ſuas habeant, vel ſint miracula, vel ſint
Ordo rei, Deus eſt concors diſcriminis Author,
Prodigiiſque ſuis naturæ fœdera ſervat.
Quicquid erunt igitur fidei portenta, coaptes
Legibus ingenii, tanquam certiſſima veris
Commutabilibus, cui fiat opinio normæ
Certior. Ens Entis, cujus totum eſſe ſit in re,
Suppoſitoque carens, non Ens quoque mobile per ſe,
Sicut Ariſtoteles vult contingentia dici,
Non probo; ſi quantum quod ſic cognoſcitur, eſt in
Re tantum quantâ; contactu quomodo ſentis?
Quomodo ſubtractâ re quantum reſtat eodem
Senſibile à tactu? commenſuratur eiſdem
Limitibus? lances & eodem pondere laxat?
Inſuper eſt aliud quantum mirabile; quod non
Extendat partes, quod non gravitate fatiget
Tangentem: quid nam ſuper his doctrina ſophorum
Diſtinguat? quod adeſt, & abeſt, à ſenſibus hoc eſt,
Non à re quanta: maneat res integra; ſenſus
Mutari conſtat; ſi res mutetur, eodem
Conſilio quantum mutabitur. Accipe, quid ſit,
Accidere in rebus; methodo qua novimus eſſe
Quantas, & quales, & ab his ſecrevimus illas.

Acci-

Digitized by Google

Accidentia eſſe Energiam rerum ab ipſis rebus ſeparabilem. Energia eſt quædam quaſi actio, & operatio interior, quæ eſt veluti via, ac dux ad exteriorem corporis actum. Ita definit Jo: Paſſer.

PRodit Energiæ nobis res quælibet actum,
Qui manifeſtatur motu ſenſoria tractim
Per medias tangente vias: & ſæpe fluentis
Re pereunte poteſt actûs remanere poteſtas:
Corpus Energiâ quantum diſcernitur: illâ
Senſibile eſt: illâ tactu diſcernitur: illâ
Quale petit viſum, mediâ cum luce refulget:
Illâ fit ſapidum, fit odorum, fitque ſonorum,
Cum petit organicos ſenſus, ſeſeque propinquis
Miſcet corporibus, motuque remittit, & auget
Vim propriam, ſenſusque ferunt hoc quale viciſſim.
Si pereant ſenſûs, ubi ſit color, & ſapor, & vox?
Primus Energiæ valor eſt quantum eſſe; remanſit
Hoc quantum ſine corporeâ re? protinus illud
Ipſe locus metitur; habet ſine ſenſibus eſſe
Poſſe; ſuum certâ ſpatii ſtatione reliquit
Corpus Energiam; quam ſi contraxerit, & non
Servet agens aliquod, neque quantum ſtare putabis,
Cum careat propriâ ſeſe virtute locandi,
Quamquam res maneat ſibimet collecta ſilenti;
Qualia quæque regit quantum; ſed qualia ſenſu
Multiplicata vigent, & quædam qualia ſenſu
Talia ſunt; aperi ſenſus virtute recentes,
Invenies etiam nova qualia, numquid in ipſa

Re

Digitized by Google

Re novitas, tanquam res additur? auſpicis idem
Actus Energiæ diverſis ingerit unum
Senſibus objectum, noſcendum à mente togatum.
Quippe ſuperficies rerum ſenſatio, non res
Percipit, & quicquid motus promanat ab ipſis.
Ecce per externos res menſurabilis actus
Quanta tibi fuerit: numquid ſub membra virorum
Eſt animus quantus? nequaquam. Eſt ergo neceſſe
Corpus Energiæ vi quantum dicier; unde
Sentitur longum, latum, grave, molle, profundum,
Lene, ſcabrum, durum; quod ſi fugit undique tactū,
Corpus habere poteſt in ſe, non tale probari.
Aſpicis impulſu lapides aſcendere ſurſum,
Æra diu reſonare ſemel percuſſa bacillo;
Unde ne collecto motum diſſeminat actu,
Sive ſagitta volans arcu diſploſa retorto;
Sive ſemel quaſſi murmur vocale metalli?
Motus ab impulſu paulatim diffluit extra,
Qui fit Energiâ, quam cum ſuperaddat Agentis
Actio, diviſam rebus cognoſcis ab illis.
Hinc motu creſcunt rerum momenta; graveſcit
Hoc magis à motu, magis hoc luceſcit, & illud
Auditur magis à motu, magis illud odorat,
Et ſapit; à motu virtus eſt altera rerum.
Motus ita in varium naturæ pondus adauctus
Auget Energiam, quam ſi genitore perempto
Senſibilem ſervet, ſubjecto ſeparat illam.
Quantum nonne vides, ubi non res quanta moratur?
In ſpeculis exempla capis: te fallit imago?
Non te naturæ fallunt ſpectacula: non te
Fallit opus ſublime Dei ſapientis ab uno
Portento rerum methodum monſtrare nitentem.
Quanta fide doceor? penetratio mutua quanti
Non intelligitur naturæ lumine, verùm
Intellecta fide non eſt contraria moli,

Quæ

Digitized by Google

Quæ per Energiam vires exercet amicas,
Namque poteſt quantum, cum quanto ſtare viciſſim
Abſque loco, ſi tollitur efficientia, ſummi
Numinis imperio: quod ſi natura creatos,
Ut par eſt propriæ legi, prorumpit in actus;
Stare loco quærit, ſentiri geſtit, haberi
Contingens patitur, motuque probatur id eſſe,
Quod per diverſos novit mens unica ſenſus.
Ergo quid eſt quantum, quod ſit ſubſtantia? partes
Eſſe ſibi partes, ut in ordine totius ad ſe
Tota ſibi conſtet res: quod ſi prodeat actu
Tota loco, parteſque ſuo ferat ordine tangi,
Contiguiſque ſimul perſtringi partibus: hoc eſt
Accidere in rebus, dirimique poteſt id ab illa.
Hoc eſt eſſe rei nobis non poſſe videri,
Vel non eſſe rei, nobis & poſſe videri.
Non ſecùs apparent extenſo qualia quanto:
Ignis habens ab Energiâ lucere, cremare,
Sic cremat, & lucet; quod ſi ſuſpenditur illa;
Non cremat, aut lucet, vel ſi deperditur ille,
Servato motu lucendi, ſive cremandi
Et cremat, & lucet quantum, procul igne remoto.
Mortuus eſt ignis quidam, velut ille repertus *a*
Sicut aquæ craſſæ ſpecies: ita crede latentem
Eſſe cremabilibus: quî ſit ſic eſſe peremptum,
Ni quia ſuſpenſum ſe non profundit in actum?
Sic non combuſſit pueros Babylonius ignis. *b*
Sic Phlegetontææ flammæ lucere vetantur.
Sic immortales homines non mole gravantur.
Tantus Energiæ vigor eſt in agentibus extra!

De

a 2. Macab. 1. 20.
b Daniel. 3. 50.

Digitized by Google

De multiplici rei præſentiâ.

SI verò corpus divinis viribus omnem
Perdiderit molem certâ ſtatione localem,
Intra ſe fuerit totum cum partibus, & pars
Quæque ſitu careat, non ordine, quæque carebit
Et motu, proprièque loco non ſtabit ubique.
Nullibi ſit propriè, quaſi ſpiritus; attamen ejus
Vera locis poterit præſentia multiplicari
Alterius ratione rei: quia nullibi diſtat,
Omnis Energiâ ſubtractâ ceſſat agentis
Functio naturæ; quamvis divinitùs ipſum
Suppoſitum maneat, vel ſit natura, vel eſſe.
Sic igitur corpus quanta ſtatione ſolutum,
Non hic, non alibi propriè manet; anne ſine ullo
Suppleri ejuſdem poſſit præſentia nexu,
Difficile eſt dictu; quia res ſine Energiâ ullâ
Non datur aut propriâ, aut alienâ; ſed neque forſan
Entis Energia eſt, aliquo ſine ſupplemento.
Propterea ſupplente aliquo, motumque, locumque,
Corpus inextenſum poterit ratione tenentis
Pluribus eſſe locis, quod per ſua munia ſuevit
Uno ſtare loco; non ultra extendere vires.
Arbiter oſtendit Deus hæc, ut congrua veris
Dicere poſſimus. Sed adhuc hærere neceſſe eſt,
Atque revelatis minùs explicuiſſe fatendum.
Sicut enim pictor ſimulare coloribus artis
Nititur archetypum; miſcet pigmenta, lituris
Lene retractat opus, ſimilem collimat ocellis
Effigiem, Zeuxis volucres illuſerit uvis,
Zeuxida Parrhaſius lino; diſcrimine noto
Res adeo pictâ diſtant ab imagine, quantum
Diſtant à verbis oracula vera repertis.

Spi-

Digitized by Google

Spiritui, mentique locus fortaſſe videtur
Eſſe? locum capiat, ſi ſpiritus applicet actum;
Sed ſi menſurâ careat mirabile corpus,
Nonne loco, motuque carebit? mox ubi non eſt
Hic locus, haud etiam diſtantia certa locorum
Aſtruitur; circumſcriptivè quanta locantur:
Definitivè non quanta; ſed utraque quanto
Deſit inextenſo ratio. Modus alter in ipſis
Prodigiis alio gaudet ſermone notari.
Si quid enim manet abſque loco, reperitur idipſum
Hunc extra mundum: ſua ſi natura repoſcit,
Taliter eſſe; quid eſt, bene definire licebit;
Sin autem quantum ſpatio privetur, ab ipſo
Non habet hoc ortu, neque definire licebit
Hoc non eſſe ſuum, ſed prodigioſa manendi
Conditio poterit, per quod ſimul accidit, edi.

De Somno, & Vigilia.

Ipſa rei vacuas inducunt ſomnia formas,
Quando ſoporiferis ſanguis phantaſmata venis
Excitat, & partim vigiles non obruit artus.
Somnus enim denſa vincit fuligine ſenſus;
Ut reparet vires cerebrum, quas coctio lento
Diſſipat igne: ſtatim redit ad ſua munia ſomno
Libera mens; viſu ſe ſimplice nuda tuetur
In nihilo; ſurgens ſine imagine Numen adorat;
Simpliciter capit ad certas converſa figuras,
Concipit apprehendens, incomplexasque relatis
Multiplicat, paribus partûs enixa ſecundis:
Dividit, & componit idem, fingensque Chimæras
Incompoſſibiles attingit identica formas.
Inſcia miratur, cauſas & quæritat omnes
Materiam, formam, finales, efficientes.

Inſo-

Digitized by Google

[illegible] modis diaphragmate riſum
Excitat, obſcurum quicquid videt, explicat, infert,
Notificans ignota, ſuâ ratione triumphans
Senſibus hæc mediis faciat, quia pura laborem
Mens neſcit, motumque manens exercet, & inſtans;
Sæpeque diſcurſum ſomno deliria miſcent.
Corporeis igitur conſtricta potentia nodis
Non vigilat ſemper: clauſis intrare feneſtris
Lux nequit alma domum, noctiſque repagula pulſat.
Sin autem nimium vigiles, nimiumque ſopori
Detineas animos vinctos, torpore facultas
Hinc hebes efficitur, nimio fervore fit amens.
Paret enim menti corpus, qua corpus obedit
Materiæ, ſenſuſque pigro mucore madentes
Obruit humiditas, æſtu movet ocyor ignis,
Cogit eò ferri, quo mens invita recuſat;
Lori pedem ſtimulet rectâ procedere, cœcum
Cernere, contractum palmas extendere, nunquam
Impetret: imperium renuunt affecta moleſtis
Morbi ponderibus, tabo reſolutaque membra,
Imo materies ſpecies confundit, & annis
Decrepitis ſimilem morbum parit ipſa ſenectus,
Ut puerum ſapiat tremulo de ponte remotum.

De Accidentibus ſuperadditis.

ATque iterum dices: an non ſuperadditus æſtus
Frigenti lapidi, nec non frigentibus undis?
Et juvat inſontem cæleſtis Gratia mentem;
Et beat infuſo cæleſtis Gloria dono.
Quos Ego ſubſtanti contingere maximè opinor,
Sunt habitus, locus, & tempus, ſunt quicquid ab extra
Advenit, & removetur; adeſt, & abeſt ſine damno
Subjecti proprio; quid enim ſi corpus amictum
Exuat,

Exuat, atque locum amittat, numerumque dierum?
Quid quoque, ſi ferro flammæ, ſi mixta liquori
Fex, oleum lanis, & ſepia fuſa papyro
Si ſecernatur? quicquid ſuperaddis, habebit
Res, aut explodens à ſe, minus illud habebit.
„ Pondus uti ſaxis, calor ignibus, humor aquai,
„ Tactus corporibus cunctis, intactus inani:
Et conjuncta ſuis ſunt quantum, quale, relatum
Adjunctis, quæ ſejungi natura negabit;
„ Servitium contra, libertas, divitiæque,
„ Paupertas, bellum, concordia, cætera quorum
„ Adventu manet incolumis natura, abituque,
„ Hæc ſoliti ſumus, ut par eſt, eventa vocare.
Hic autem volo te totis intendere nervis.
Nam plures nihil attentos conſueta loquendi
Regula, vel ſegnes dicentis barba fefellit.
Ne credas igitur ſubjectis edita migrent
Qualia tactilium propriâ ſine mole ſuorum;
Unda calet? fumat tenui calor igne per undam;
Tela coloratur? color eſt à ſandyce mixtus:
Veſtis olet? ſparſo reptans odor unguine ſuffit:
Et quæ mutari ſenſus dijudicat, illis
Intromiſſa recens eſt, aut demiſſa ſubinde,
Quæ gerat id, quod adeſt, vel abeſt ſubſtantia pactum.
Nonne ſuperficie paries eſt albus? & albus
Dicitur omninò, qui non eſt intus; & atrum
Æthiopem cutis uſta facit, quem plurima mutant
Interiora, caro, nervi, cruor, oſſa, medullæ.
Sic modico ſale conſperſum, quacumque ſalitum
Dicis aprum, ſecerne ſalis fragmenta, repones
Inſipidum, ſicut fuerat priùs; omnia poſſunt
Adjectiva dari ſubjecto taliter uni;
Si quoque ſubjecto, quicquid denominat, inſit.
Sed modus hærendi conceptu mentis obedit,
Ut verum dicas: aliter lac dicitur album,

Digitized by Google

Atque aliter paries: aliter nix, atque liguſtrum.
Subſtantiva trahunt adjecti nominis in ſe [a]
Significata, modo, ſua quo natura requirit;
Adjectiva ſonant, ſubjecti nominis inſtar.
Qui verò ſuperant naturæ fœdera caſus,
Immediata Dei, placiti pro jure, Poteſtas
Mutat, & ex nihilo qui condidit omne, creato
Suppoſito tribuat; quicquid placet indere, poſſit.
Gratia præſertim, virtus, & gloria menti,
Seu fuerint habitus, ſeu qualia, ſive relatum,
Quà ſuperadveniant, cum naturalia præſtent,
Neſcit Homo: forſan quà Spiritus ipſe ſuperno
Ordine dirigitur, vel agit, Deus addit amanti
Dulce decus, vires; quibus elevat: anne viciſſim
Reſpectum tribuit, quò nos amat, ut trahat ad ſe;
Diligit ipſe priùs, nos ut convertat; & ante,
Nos ut amemus, amat; meriti virtute potenti
Nos ut agamus, agit; non ducit in otia ſecum
Eſſe, & velle; facit tenebras ſplendeſcere lumen,
Aura, ubi vult ſpirat; neſcis quà venerit, aut quo [b]
Vadat; eà veniat, maneat. Converſio gratis
Tradita, principium meriti ſit gratia; virtus
Sit medium; merces in lumine gloria finis.
Hæc ita ſint: homini quicquid ſuperaddit agenti
Religio, confide tuis, ALBANE, reponi
Montibus: Ars, Natura, Deus ſtudet omnia cogi
Sub pretium virtutis; habes conſortia Summi
PATRIS? habes cœli quanti CLEMENTIA vænit.
Accipias gratis, gratis evaſeris HEROS.

De

---

a *Adjectiva ſignificant per modum accidentis, ſubſtantiva verò per modum ſubſtantiæ*. S.Thom. 1. quæſt. 39. art. 3.

b Jo. 3. 8. *Spiritus ubi vult ſpirat; & vocem ejus audis, ſed neſcis unde veniat, aut quò vadat.*

Digitized by Google

De principiis Morum.

Hoc utique affatus dicam, quo fonte voluntas
In mores humana ſuos ex fine peractos
Intento prorumpat Agens. Natura quibusdam
Principiis propter fines in Numine notos
Omnia direxit. Quædam cognoſcere finem
Non poſſunt: quædam inſtinctu, vel ſponte feruntur;
Et quædam facili ſe conſuetudine certis
Artibus inclinant: ſed Homo ratione movetur,
Et propter notos fines humanitùs actum
Exhibet, & multis habitum producit agendi
Delectabiliter, diſponens carnis habenas,
Ut facili obſequio mentis mandata ſequatur.
At quia peccato mens debilitata rebellem
Fomitis incendi ſentit per membra tumultum,
Turbatur ratio, vitiis illecta tyrannos
Affectûs patitur, quales animalia brutis
Motibus impellunt, nullo dictamine mentis.
Nec mora; multiplici concurritur hoſte, fatigat
Spiritus adverſus carnem, caro ſordida contra. a
Iactat utrimque bonum vexilla, malumque procaci
Conflictu: rectos confundunt claſſica motus.
Lætitiam celebrat de re præſente voluptas;
Fervet amor, cæcâ ſensûs prurigine deplet:
Et timor inſtanti pulſat præcordia damno;
Et fuga præcipiti declinat agone ruinam;
Ira cavet removere bonis obſtacula captis;
Difficiles aggreſſa vias audacia frendet;

O 2 Livet

a Glat. 5. 17. *Caro enim concupiſcit adverſus Spiritum; Spiritus autem adverſus Carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur.*

Digitized by Google

Livet edax odium, quod noxia quæque perhorret,
Triſtitiamque capit refricans mœrore dolorem,
Cum nequeat vitare malum: poſtrema malorum
Linea dementem ſe deſperatio lædit.
Ergo Principium morum, bene cognita finis
Eſt Bonitas: mala cuncta boni velamine fallunt.
Decipimur ſpecie recti, quæ recta videntur
Senſibus, & menti, ſunt apparentia tantum,
Illiciunt ſtupidos animos; ſpeculamur amandum
Eſſe Bonum ſummum, quod noſcitur ultimus eſſe
Finis; & interea vehemens magis avia ſuadet
Carnis amor: cæcâ ratione Philautia turbat
Judicium, motûſque animi phalerata laceſſit:
Id placet, id fiat; ſtat pro ratione voluptas;
Iraque pro libito ſpecioſa ſophiſmata cudit.

De Vitiis, & Virtutibus.

ET quamquā ſint hæc hominum parapherna benignè
Ceſſa, quibus virtus æqualiter uſa lucretur;
Prava tamen genii viſis corruptio ludis
Illicit, & vitiis animas irretit inertes.
Ambit honorari, faſtuque ſuperbia turget:
Quærit opes, inhiatque dolis diteſcere avarus:
Luxuries tabo molles enervat aſotos,
Sæviter indignas cædes vindicta minatur;
Ingluvies ventrem ganeis devota ſaginat;
Invidus alterius ſortem livore trucidat:
Segniter ignavos tædet callere laborem.
His vitiis quid fiet Homo? quo pejor atroci
Beſtiâ eat? Dominâ faveat virtute voluntas?
Sic opus; at quoties ſacro ſynderesis œſtro
Faſque, piumque minus menti ſuggeſſerit, aut vis a
Aut

a *Aut vis, id eſt vehementia paſſionum.*

Digitized by Google

Aut ignara mali libertas turpiter erret,
Quis ferat auxilium? Phlegethon demittit ab Orco
Dæmonas, humanam ducant ut Tartara ſtirpem.
Inſidiis mundus, volupi caro decipit hamo.
Sed Deus ærumnas Hominum miſeratus, Olympo
Expedit Aligeros vigiles, quos gloria circum
Excubiis intenta micat: penetralia cordis
Sollicitant, ignara docent, torpentia curant,
Laxa juvant, infirma regunt, erecta gubernant.
Inde per infuſos habitûs animabus inhærent
Dona ſuperna, quibus ſupra ſe lapſus, & orbes
Erigitur mortalis Homo, reparatque parentum
Præcipitem caſum, fatalia damna colubri.
Erudit alma Fides, myſteria celſa revelans,
Queis intellectus ſupra ſe doctus ab Alto
Spem Divinorum recipit, conflagrat amore
Cæleſti, finemque ſuum ſapientiùs optat.
Hinc omnis virtus, hinc omne chariſma ſupernè
Traditur, hinc rectâ ſenſus ratione movetur:
Utque frequentatis habitûs ex actibus extent
Novit agendorum veros prudentia fines,
Juſtitia unicuique ſuum conceſſit habendum;
Fortiter extendit generoſa potentia vires:
Temperat extremis, mediumque modeſtia monſtrat.
Imperiique tenax animus, dum ſubdita frangit
Membra, magis ſubdit; minùs actibus illa probatis
Sueta reluctantur, donec victoria ſanctis
Conſuetudinibus corpus ſervire libenter,
Et facili mentem doceat regnare palæſtrâ.

De Lege Naturæ.

HÆc via pro reditu; quam ne malus obſtruat error,
Lege Deus vallat, quæ mentibus ante cohæſit,

Quam Tabulis aptis. Dominum jubet ergo fideli
Religione coli, quem præter amabile nullum
Numen; & incaſſum ne ſe vocet impia ſtulto
Corde ſuperſtitio; ne Dæmonis arte profanet
Nomen honorificum; potius prece mentis, & oris
Sanctificent Homines ſummum ſtata tempora Patrem;
Quem decet, ut noſci ſuper omnia, ſic & amari.
Proximus eſt itidem ſic obſervandus, ut unquam
Non lædas vitâ, famâ, re, ſemper honores
Jura magiſtratûs; & junctis ſanguine proſis.
Quod tibi vis fieri, facias; & quod tibi non vis,
Ne facias alii: Deus inſpicit intùs, & extra,
Illapſuſque, aliis impervia corda; reatum
Et vetat arcanum. Pœnas decernit iniquis
Pro merito cujuſque pares, & præmia juſtis.
Lex eſt prima Deus, Legum clariſſima Lux eſt,
Lux Intellectus, Lex eſt Divina Voluntas,
Luce ſui lumen vultûs, & lege paternæ
Jura poteſtatis primis in rebus inuſſit.
Quid ſine lege Dei? Cœli mandata capeſſunt;
Terra ſtetit nutu, dictiſque facillima fœtus
Protulit: Unda tremit, ſpatio ſupereminet aër,
Flamma nitet, fidei parent elementa priori,
Mixta, quibus vita eſt, vel non eſt vita; Voluntas
Prava, Dei legi quæ reſtitit, omnia turbat.

De Anima ſeparata.

Poſt hæc abſolvi ſubitas mirabere membris
Defunctis Animas. Cur immortalis amicum a

Spi-

a *Anima corpus malè affectum naturaliter odit, ſanum deſiderans, quare dictum eſt. Corpus, quod corrumpitur, aggravat Animam.* Sap. 9. 15.

Digitized by Google

Spiritus odit opus, valido neque robore ſervat
Hoſpitium? Cur forma ſuo non prævalet actu?
Truditur immo foras ab inerte cadavere, motu
Materiæ, quæ longè animâ eſt ignavior omni.
Quod reor, hoc ipſum partes mortale ligamen
Separat interitu, quoniam contraria tentant
Robora, cum ſint perpetuæ virtutis & ambæ:
Materies etenim corruptibiles habet actus,
Incorruptibiles anima; & quos libera prorſus
Exercet, non eſt membris immerſa caducis;
Quos autem exercet, non libera corpore vivens,
(Non eſt libertatis opus mors) inde neceſſe
Subditur occaſu, poſtquam contagio culpæ
Conceſſum gratis à corpore munus ademit.
Hoc igitur patitur, quoniam compage ſolutâ
Stare nequit formæ ratio, ſed cogitur in ſe a
Conſtringi, viresque ſuas contracta fugacem
Colligere in mentem; vitiis quas turpia fœdant
Crimina, flammarum fluviis abſorbet Avernus;
Quas verò ſcelerum levior jactura momordit,
Expiat igne locus, ſed non locus igne perenni.
Quas autem non ulla lues patrata volentis
Arbitrio, ſed Patris Adæ maculavit origo,
Et nece ſublatas cæleſtis gratia nullo
Deterſit ſplendore, quod eſt ab origine, Limbus
Detinet aſpectu dumtaxat Numinis orbas.
Quas tandem meritas Domini clementia legit b
In deſideriis Abrahæ ſinus uſque moretur,
Dum veniant promiſſa Dei: tum Chriſtus opimas
Efferet exuvias Cœlo; tum plena trophæis

a *Ideſt formæ organicæ ratio, ſine qua homo non vivit, & Anima immortalis ſeparatur à corpore.*

b *Intellige ante Chriſti adventum; moramur enim in ſexta Die Mundi explicanda.*

Digitized by Google

Dextera fundet. At at, quo me divina videntem
Fata ferant? Animæ cum ſint ſine corpore, migrant
Protinus, ut proprias æger deſtruxerit ædes.
Sed quia reſpectum dicunt ad corpora, rurſus
Illa Dei placitis demum rediviva reſument.
Interea ſi flamma vorat, ſi blanda voluptas
Senſibus exortes mulcet, mens angitur illis,
Quatenus acta tenet, quod nollet habere dolendum,
Vel fruitur, quod vult. Quoniam conformia nobis
Cuncta voluntatem ſpectant, bona, vera, Volenti
Si conformentur primo. Mala diſſona nobis;
At mala vera, Deo ſummè diſcordia, tantum
Crimina ſunt: Iſtis igitur implexa voluntas
Summè averſa Deo, ſummè crucietur oportet.
Sed verum videt intellectus, & arbiter æquus
Pulcrum, & turpe notat; pulcrum, ſi conſonet aptè
Principiis conforme ſuis, & turpe recedat.
Hinc quoque ſenſibilis quærit Bona quæque cupido,
Viſus, & auditus verum, pulcrumque receptant;
(Ut cognoſcendi potius, quam diſcupiendi
Inſtrumenta voces) igitur cum vera penetret
Intellectus, & iſta ſuæ difformia noſcat
Naturæ, nequeatque datis deſiſtere cœptis,
Angitur, exhorret, quatitur, furit, eſtur, hebeſcit.
Spiritus Elyſiis contra lætatus in oris
Quod ſibi debetur, cupiat: ſatiabitur olim
Quando apparuerit tua Gloria, Chriſte Redemptor.
Sejunctas animas nullo phantaſmate molis
Dixeris attingi? ſpecies appone creatas:
At quicquid didicit, quicquid ſub mente recepit,
Et depurgatum molis phantaſmate, quid ni,
Si retinet, ſtatuique ſuo ſi ſpiritus aptum
Digerit? ad larvas non ſe convertat opacas
Intellecturus, quia corpore liber; at illi
Vita ſit hoc ipſum, quod res intelligit, & ſe.

Non-

Digitized by Google

Nonne velit ſeſe, cum ſit? quid velle negabis
Noſſe? ubi ſit quærat? cum ſit quoque lumen, id ipſum
Diſcupiat? mens eſt; igitur non luminis impoſ.
Hoc ſibi naturâ ceſſit, cum cætera lumen
Ferre queat, mutare locum queat ipſa voluntas
Libera, ni decreta vetent pro funere ſortis.
Quandoquidem mutare locum prohibentur Averni,
Sulphureaſque faces animæ, quas juſta perenni
Morte premit, ſimul & manes ſententia damnat.
Si nihil expertos contentio dura fatigat:
Parce modis, animoſa Fides. Me ſeptima priſco
More Dies urget, ne Sabbata prima quieti
Dedita traducam. Jam per compendia quicquid
Et Deus, & Natura, Dei ſancita Voluntas
Condiderit, cecini. Teneant meliora ſilentem.

SEP.

Digitized by Google

SEPTIMÆ DIEI
FERIÆ.
SABBATI REQUIES.

Textus.

1 *Igitur perfecti ſunt Cœli, & Terra, & omnis ornatus eorum.* 2 *Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat; & requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat.* 3 *Et benedixit diei ſeptimo; & ſanctificavit illum: quia in illo ceſſaverat ab omni opere ſuo, quod creavit Deus, ut faceret.* Geneſ. cap.2.

Otium Negotioſum.

ALMA QUIES OPERUM cunctis operoſior actis
Me vocat in carmen feſtis ſolemne diebus:
ANNIBAL hanc etiam ſtudii noſtri accipe partem.
Si quid enim ſanctum non otia pigra retardant,
Ut ſit, ut immoto pelluceat ordine rerum,
Quem piget amiſſi, culpa graſſante, laborem
Fœderis? Omnipotens Author, qui cuncta creavit,

Ut

Ut faceret, mundo latè majora creato
Perficit uſque modo; ſed cum priùs extima viſu *a*
Cuderit, arcanâ poſthæc virtute beatæ
Pacis agit requiem, requiem, quam mente ſupremâ
Spiritus intus agit, plenam molimine laudum.
Has imitata virûm felicia germina formas
Pervigili poterant ævum traducere cultu,
Si cuſtoditis blandæ dulcedinis hortis
Staret honos patrius; ſed poſtquam decidit heros
Terrigenùm vetito fatalis originis eſu,
Quam paucis remeare gradûs ad gaudia ceſſum!
Hoc opus, hic labor eſt: pravas avertite curas,
Illuſtres animæ, curas removete profanas;
Sacra dies agitur; vili conſiſtere circo,
Mechanicùm ſervire, nefas; quid curia lites
Evomit, & ſtrepitu repetit decocta forenſi
Nomina? quid ludos aperit, quid alipta palæſtras,
Et plaudit mimos populi clamore theatrum?
Quid menſas onerat mutati Collybus æris:
Et rotat emporiis nummos mercator apertis?
„ Luce ſacrâ requieſcat humus, requieſcat arator:
Nullus in urbe labor, nullæ per compita turbæ;
Mente laborandum; Fabrilia claudite, Cives,
Oſtia; ſollicitos animi prohibete tumultus.
Huc operæ pretium; non per ſpatioſa viarum
Ducimur: Arcta via eſt, qua vita perennis, amænæ *b*
Vita voluptatis deſpondet in otia ſanctum
Numinis officium; ſapientia prima putetur
Noſſe Deum, quem noſſe Fides plus profit amanti,
Quam contemplanti ratio; ratione movetur
In ſua mens Hominum: Fidei caligine ſupra

Se

a Jo.5.17. *Pater meus uſque modo operatur, & Ego operor.*
b Matt.7. 13. *Lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem.* num.14. *Arcta via eſt, quæ ducit ad vitam.*

Se fertur, non in ſua; motu deficiens eſt
Principium natura ſui; ſed luce ſupernâ
Mota fit efficiens; quæ nam ſua dixeris eſſe,
Cum nihil ex propriis habeat? mendacia, fraudes,
Pauperies, errata ſuum duxere tributum.
Innixi ratione Sophi novere Tonantem; a
Qualibus ah tenebris hos ignorantia vinxit!
Qualibus ah vitiis diſtraxit opinio ſensûs!
Caligant in ſole, ſuo ſe quilibet auſu
Dejicit; ex utero errantes ſunt falſa locuti. b
Tutiùs ergo Deum Fidei devotio monſtrat:
Obſequiumque gerens ratio conceptibus altis
Muneris Ætherii; quod non excogitat in ſe
Nec capit extra ſe; reperit divinitùs indi,
Cælitùs infundi. Ratione ſilente voluntas
A Deo habet, quod habet; gratiſq; quod accipit, intus
Cur tenet ingratis? quare piger opprimit error?
In deſideriis animæ divina refulgent
Lumina; notitiam ſummæ Deitatis adaugent
Vota, preces, humili ſuſpiria corde, fidelis
Religio, Fideique frequens meditatio puræ.
Quippe quieſcendi ſupremus terminus eſt pax
Exuperans omnes ſenſus; acquirere pacem,
Sabbata quam ſignant, ſex eſt illuſtre dierum
Hoc facinus; primo cœlum, terramque creavit
Omnipotens? animæ corpus terreſtre ſubegit.
Luce diem compſit? Fidei te lumine donat,
Et Lux in tenebris lucet; diviſit aquarum
Congeriem, firmaſque Dies tenet alter Abyſſos?
Divide confuſum culpâ chaos, erige mentem,
Carnis onus ſubmitte; ſpei te robore firma:
Spes non confundit, menti cum dia ſuperſit

Gra-

a Rom. 1. 21.
b Pſal. 57. 4.

Gratia, nec deſint imæ ſua ſemina parti.
Tertia collectis undis lux æquora pandit?
Collige tu vires, fluidoſque cupidinis æſtus
Uno coge loco; fœdus coaleſcit in unum
Caſtus amor, virides ut germinet arida plantas,
Et caro fœcundis animæ virtutibus halet.
Alta diem cœlis ornarunt ſydera quartum?
Evigila, ut mentem meliora chariſmata luſtrent.
Quinta dies ab aquis piſces deduxit, aveſque?
Piſcibus ecce fides, avibus ſpes emicat ipſis,
Et ſociale genus ſextæ conferre Diei
Symbola, concordis fructum lætatur amoris;
Uſque adeo labor in requiem, qua ſeptimus inſtat
Poſſe frui, feſtumque diem celebrare perennem!
Nunc age, ſi cupias, requiem virtutis adeptus,
Solemnem celebrare diem, non Orgia Bacchi,
Non Cybeles inſana feres crepitacula Matris
Non Hecatombæo libata piacula ſaltu.
Non te Circenſes ludi, non atra Cotytto
Delectent, neque Olympiaco te pulvere fœdes.
Sperne voluptates carnis, mundique nefaſtos
Oderis eſſe dies, tranquillâ pace carentes.
Feſta dies mundi, mundæ eſt infeſta quieti.
Nam Deus eſt animæ centrum, Deus orbita mentis;
Hìc, & ubique manens, & nullibi, ubique moratur,
Hìc ubi non fueris; tranſcende per omnia ſenſus,
Eſt Fidei gradus, hæc oculis vidiſſe creatis,
Percepiſſe quod eſt à Numine, quod nihil à ſe
Conſtitit: En cœlum, terramque creavit, & undas,
Et tenebris obducta ſuis, niſi luce revelet
Spiritus almus, adhuc nobis ignota jacerent.
Lux autem per ſe nobis manifeſta revelat
Omnia. Quanta Deus Lux eſt, qui luce creatâ
Monſtrat opus tantum? Lux eſt ſuper omnia lucens;
Luce vide rerum divinæ lucis abyſſum.

Quid

Quid cœli, quid terra, quid eſt mare, totaque mundi
Machina, quid mentes? magnum quid: ſed tamen ipſis
Maius mente capit, plures qui cogitat orbes,
Qui magis inſignes cœlos, terraſque creatis
Cogitat & mentes; at ſi proceſſerit ultrà,
Attigeritque Deum; Deus, ah Deus omnia; circum
Sunt nihil hæc, & plura, nihil ſunt omnia præ Te;
Nulli plus ultra datur attentare ſupremo
Limite; Meta quies eſt ultima; cætera præceps
Tranſitus expungit; mediis mora nulla cohæret,
Indignum, ſtatione capi, ceu corpora, mentem;
Amentem mentem, primâ quæ mente reſiſtit
Eſſe velut centro, cum nullibi ſiſtere poſſit,
Cum non in ſe ſit, quæ à ſe non eſt, neque per ſe.
Propterea ſapientis erit, pro lumine ſummæ
Majeſtatis & hoc de ſe penetrare ſecundum,
Notitiamque ſui ſtudio limare frequenti.
Cerne quid es; fueras aliquid fortaſſe priusquam
Te tua conciperet Mater, Deus ipſe crearet
Ex nihilo mentem? pariter niſi te regat, ut ſis,
Continuata Dei miſeratio; ſubtrahat inſtans,
Quæ ſuffragatur miſeris præſentia rebus,
Numinis auxilium, quò protinus impos abibis?
Quicquid es, alterius cum ſis, certè tibi non es;
Ex nihilo cum ſis, ex te quoque tu nihil hoc es. *a*
In nihilum de ſe, cum poſſit abire, neceſſe eſt
Eſſe nihil; nihiloque minùs natura retraxit
Crimine; nam crimen cum ſit defectio vergens
A ſummâ bonitate per immenſam Catacreſim
In barathrum, puteumq; mali, limumq; profundum; *b*
Ille

a Galat. 6. 3. *Si quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.*

b Pſal. 68. 3. *Infixus ſum in limo profundi; & non eſt ſubſtantia.*

Digitized by Google

Ille per Antitheſin ſenſûs, mentiſque receſſus
Terminat in nihilum; non eſt ſubſtantia; quanto
Debilior caſus, tanto ſemotiùs a re
Præcipitas, & te reperis ex te nihil eſſe;
Nec datur à nihilo pro libertate regreſſus.
Hæc meditare diu, praxi ſcrutare virili,
Collecto ſentire ſinu connitere, vires
Conceſſas impende: datum tibi deſuper hoc eſt,
Poſſe tuum ſentire nihil ſine ſenſibus, ipſum
Velle tenere morâ; conatu mentis inire:
Viſceribus totis ipſos compellere ſenſûs,
Ut ſe conforment menti, quæ talia novit;
Nidus avi proprius; Pullos ubi parturit, illic
Et tranquilla fovet. Sed adhuc tibi longa ſuperſit
Semita; nam poſitis (fas eſt ita dicere) binis
Extremis, medium diſtantibus infinitum,
Cognitione Dei, qua ſurſum niteris uſque,
Cognitione tui, qua niteris uſque deorſum,
Nonne gigantæo properes excurrere paſſu
Hoc intervallum, quò feſsâ mente quieſcas?
Et tamen ò felix mentis labor! abſtrahe mentem,
Mente Deum ſummum ſigna; te mente reſigna,
Et quod habes ab eo, cohibe, ne limitis uſum
Tranſiliat; Deus ipſe docet, dum non tibi juris
Divini uſurpas, tanquam tua, pignora; donat,
Et tua nempe facit, quæ non tua ſunt, Deus ipſe,
Quæque jubet, dat velle, & poſſe, & perficere, ut ſint. *a*
Eſt Deus in nobis, & in ipſo vita movetur, *b*
Et ſumus: hoc medium poſuit quid, & inter abyſſum
Præcelſæ Deitatis, & è regione tuæmet

De-

a Philip. 2. 13. *Deus eſt enim qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.*

b Act. 17. 28. *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus.*

Digitized by Google

Debilitatis, qua in nihilum natura dehiſcit.
Cum verò ſceleris caſu dilapſa referri
Principio nequeat, cui debebatur, honorem
Dedignata ſuum: medium Deus ipſe potenti
Robore conceſſit Chriſtum, qui diſſita longo
Culpæ diſſidio conjungeret ima ſupremis.
Quippe lues culpæ de ſe lethaliter ut cum
Deſtruat omne bonum, quisnam reparare profundum
Criminis exitium poterat? niſi dextera ſummæ
Virtutis? plus eſt operis, quam condere mundum,
Tollere peccatum: quia plus à Numine diſtat
Hoc nihilum ſceleris, quo pugnat iniqua voluntas,
Quam nihilum rerum, quo non vis ægra reſiſtit.
Si Deus offenſus culpâ non deſtitit eſſe
Nequitia peccantis, ideſt, quia maxima virtus
Eſt illi, cui non intentio prava propinquat;
Sed ſcelus intentat petulantia peſſima ſummum,
Si Deus offenſus culpâ; Deus ipſe reponat
Dedecori decus, aſſumptâ qui carne labantem
Naturam relevet. Prodeſt hæc tertia lapſis
Notio, qua vitæ Medicum, verique Magiſtrum
Tramitis ad requiem pietas immenſa revelat.
Huc ades ò Animæ deformis imago, Redemptor
Te petit, ut repetant in te ſua munera formam;
Huc ades, hoc unum ſcitu memorabile Verbum
Chriſtus Homo, Chriſtus Deus, exemplaria rerum
Protulit, & retulit: videas humana ferentem
Stigmata peccati quanto ſe pondere laſſet;
Fert humeris onus immenſum pueriliбus inſons,
Quàque Deus virtute latet ſervilia monſtrat
Munia; pura caro cæleſtis Hypoſtaſis uno a
Suppoſito ſuffulta, gerit ſimulacra reorum:
Quid reus immenſo Chriſti patientis amori

Gra-

a *Pura, ideſt innocens, & ſine peccato.*

Digitized by Google

Gratiùs appendat? capiti conſentiat aptum
Corpus, & apprimè velit ejus morte renaſci.
Quicquid ab ipſius promanat amore, viciſſim
Noveris ex ipſo totum, ſed protinus uſu,
Quem dedit eſſe tuum, fidei conſtantia vertat
In cenſum probitatis. Agas velut omnia dono
Ceſſa tibi faveant, ſed non tua noveris eſſe;
Notitiam veræ diſcernat originis actus,
Ut cum, quæ fieri debent, perfeceris omni
Conatu, dicas, ſum ſervus inutilis, & quæ *a*
Juris oportebant fieri, non ſunt mea, non ſum,
Non feci; nihil eſt in me; Deus omnia fecit,
Omnia Chriſtus; honor ſit, & ipſi gloria ſoli.
Quandoquidem natura Dei eſt, & gratia Chriſti,
Ut ſis & facias, ſine quo nil poſſumus omnes,
Nil ſumus ex nobis, & poſſumus omnia ſecum.
Ergo quid elato, mendax homo, corde ſuperbis?
Reſpice Prototypon ſummo de vertice miſſum,
Majeſtate latens humilem ſpirare figuram,
Et tibi dum profert ſpecimen conforme trahendo;
Ne renuas aptare ſibi te; ſubdere mentem,
Subdere corporeos artus, clavoque trabali
Figere; ſupplicium culpæ, quod cernis in ipſo
Deſævire, tibi deberi credito; ſed non
Eſt ſatis ad meritum, minor es, quam ferre valeres.
Quapropter complere potes pro Corpore Chriſti *b*
Quæ deſunt in carne tua, nectique redemptis,
Et fieri ſimilis toti pars. Indue Chriſtum *c*

a Luc. 17. 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite; ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.*
b Coloſ. 1. 24. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.*
c Rom. 13. 14. *Induimini Dominum Jeſum Chriſtum.* Eph. 4. 24. & 6. 11. 14., Coloſ. 3. 10. 12.

Indue virtutes, ut ſis in corpore tanto
Conſona pars Capiti; Corpus nam dedecet eſſe
Juncturis difforme, quod eſt Eccleſia Chriſti.
Idcirco membrum toti parere paratum
Dira pati, gaudere probris, ſufferre libenter
Omnia perdiſcat, conſperſaque ſanguine Jeſu
Veſtimenta gerens rigidæ Crucis hoſtia fiat.
O fortunatæ mortis vitale ſepulcrum!
Quo requieſcit amor, quo vita reſurgit amantis,
Et trahit electos in feſta perennia, quonam
Te celebrem ſtudio? Tu me Sapientia comes
Oro, Timore Dei, Pietate, Scientia, & alto
Robore, Conſiliis, Intellectuque profundo,
Juſtitia, donoque Spei, Fideique; niteſcat
Simplicitas animi, vitæ frugalis honeſtas,
Mundities operum, mentis conſtantia, morum
Religio, rerum dimiſſa licentia, linguæ
Cultus inoffenſus, mundi contemptus, honoris
Nulla ſitis, perfecta mei victoria; ſanctum
Corde meo Chriſtus TRIADIS tranſcribat Amorem.
Hic Amor unus, Amor divinus in omnia compos
Igne ſacro mentem pervadat, viſcera flammet,
Irradiet ſenſûs, atque oſſa medullitùs urat.
Si Bonitas eſt ſumma Deus, quò tendimus omnes,
Si medium Chriſtus, per quem contendimus illò;
Nos autem divina trahit Clementia ſurſum;
Nos ſumus in motu ſuperæ virtutis ab imo
Naturæ lapſæ ad ſupremum culmen amoris,
Quem ſummæ Bonitatis opes fulgoribus augent.
Sed via longa nimis, nunquam ſtatione perenni,
Donec iter noſtræ definiat ultima vitæ
Meta, moram ducit; requies brevis ilicet ægris
Hoſpitibus graviora parat certamina; bellum
Majus inire docet, partiſque quieſcere palmis.
Vix etenim quis conſtituit bene vivere Chriſto,
Cum

Cum malus irrumpit Dæmon, & mille nocendi
Comparat inſidias, mundum rutilantibus armis
Inſtruit; illecebris carnem deflectere tentat.
O quid agis Chriſti miles? quid fabula vulgi
Ferris, & aſſuetum vitæ novitate relinquis
Ingenium? miſerere tui, miſerere tuorum;
Certiùs eſt uti ſpecie præſentis, & uſu
Liberiore frui, dubio quam ſine futuri
Spem differre bonis. Quanti ſtetit exitus anceps
Devotis in fata malæ crucis? ecce beatos
Et brevis hora facit; nam de Cruce Latro, memento
Chriſte mei, clamat: nec tædia longa ſalutem
Protelant: hodie tibi vive; perendinus ortus
Solis erit patiens, ut craſtina pœna remittat
Menda juventutis: nunc æmula gloria faſtis
Majorum invideat; nec contemnendus avorum
More tenor vitæ, parium quam turba frequentat.
Nunc eſt ludendum; nunc eſt pede libera tellus
Concutienda levi; curas eliminet ætas,
Cum licet iraſci, cum non vindicta furorem
Dedecoris culpat; lautè bibe, veſcere, dormi,
Pars animæ viventis id eſt, neque paupere cenſu
Mendicare Dies: tanti ſis, quantus honori
Splendor erit famæ: tua ſunt hæc; vita, voluptas,
Gloria, commoditas: reliquum concede ſenectæ;
Nam feretro. Cujus voces hæ? murmura Lernæ,
Sibila ſerpentis. Fuge, mi dilecte, venenum,
Spirat hydrus: mellita nihil te verba morentur:
Sancta fides operi vivo vacat, obſerat aures
Eloquiis, oculos fucis, ſenſuſque vapori
Tartareo, mentemque movet meliore ſilentem
Diſcurſu: meditare Deum, quo ſine crearit
Immortalem animam; quod præterit, uſus, in unum
Dirige principium; nec te faſtidia pugnæ
Diſcrucient; præclara tui certaminis eſt ſpes,

Digitized by Google

Poſſe impugnari, vinci non poſſe; volentem
Turpe nimis vinci. Patientia longa triumphum
Conſequitur; quid mente cadis, quid corde fatiſcis?
„ Tu ne cede malis, ſed contra ardentior ito,
Qua tua te divina juvat præſentia; pro te
Militat ipſe Deus: non es tibi ſolus in hoſtes,
Quos debellatos Chriſti victoria monſtrat
Calce triumphandos. Ora: Pater abditus adſtat,
Filius attendit, ſanctus quoque Spiritus ungit
Chriſmate virtutum mentem; bonus Angelus inſtat,
Et ſuperos conferre manus tibi crede vocatos.
Omnia vincit amor, quo vincit & omnia Chriſtus,
Chriſtus amor noſter; noſtri via Chriſtus amoris,
Quà rectà gradimur, cum ſabbata culta quieſcunt.
Nam dolor ex odio culpæ conceptus, ut infra
Viſcera ſe condit, læſumque recogitat ultrò
Numen inacceſſum, Majeſtatemque ſupremam;
Conterit eduræ mentis præcordia, niſu
Dimovet oppoſito, tetrumque cupidinis ignem
Extinguit lacrymis: odium immortale malorum
Inchoat omne bonum, primamque dolore favillam
Elicit, & tenero lumen ſuccedit amanti.
Inde autem ſuccreſcit amor ſacer, inde profanus
Solvitur & quanto ferventiùs ille caleſcit,
Tanto debiliùs mundi, carniſque libido
Præpedit aſcenſum, donec quaſi mortua mentem
Corpore diviſam linquat ſuper Æthera ferri.
Huc ut pervenias, nullis terrebere pœnis;
Nulla tibi mortis ſpecies inviſa putetur.
Nonne neceſſe pati, quos vita doloribus angit;
Nonne neceſſe mori, quos nex abrodit ab ortu?
Invitum te fata trahunt: quid velle recuſas
Cum merito, quod nolle nocet? noliſque, veliſque,
Te ſequitur dolor, & lethum: poſt fata ſequatur
Certa quies operum, merces indicta laborum.

Baju-

Digitized by Google

Bajulus ergo Crucis, patiens imitare Magiſtrum
Cœlo dilapſum, Pietas quem ſumma redegit
Pauperie, probris, plagis, cruce, morte, ſepulcro,
Divitias, decus, illecebras, & gaudia vitæ
Conſummare brevis; quo te non cogat amati
Cura beata boni, ſi ſæpe quieveris ipsâ?
Sic ſacer annus eat, dum ſeptima vertitur ætas,
Dum labor in requie, requieſque labore cohæret.
Dũ movet hebdomadas vaga Cynthia mẽſe quaternas,
Nec dum perfecto ſolis conſortia curſu
Conſequitur; majoris adhuc ſolemnia pacis
Sunt celebranda viris, donec lux auferat umbras;
Donec in octavam divina ſilentia lucem
Evacuent ex parte quod eſt, totumque ſerenent. [a]
Quippe nihil certi victoria noſtra triumphat;
At quamquam ratio vincendi tota ſupernè
Diffluat; omne tamen nobis onus ingruit, ut ſi
Tota foret ratio vincendi noſtra; quod eſt in
Munera conceſſum, hoc in præmia proficit uſu.
Sunt interruptis hæc exercenda periclis,
Quò non pœniteat, vitæ dum pœnitet actæ;
Ac valido mœrore mali ſuſpiria plangant
Pectus: Ohe nunquam ſatis eſt, vel læſeris unâ
Perminimâ culpâ Numen: jejunia feſtis,
Et vigiles noctes præeunt; majoraque luctu
Gaudia proveniunt: quod ſi ſemel unxeris Agni
Sanguine Niliacos poſtes, & limina; ſurge,
Tranſitus eſt Domini; fiat tibi Paſcha ſalutis [b]
Menſa viatorum: duplici velamine Chriſtus
Ipſe latet; ſpecie panis, velut hoſtia fuſo
Sanguine cæſa latet, Corpus non Sanguinis expers;

a 1. Cor. 13. 10. *Cum autem venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt.*
b Exod. 12. *Eſt enim Phaſe, ideſt Tranſitus Domini &c.*

Digitized by Google

Et ſpecie vini Sanguis, velut hoſtia ſecto
Corpore fuſa latet, qui non eſt corporis expers;
Vivit enim Chriſtus ſpecie ſub utrâque, ſed Agnum
Oſtentant velut occiſum myſteria, totum
In toto, partes in partibus; integra res eſt
Sub quavis ſpecie; ſpeciei fractio nunquam
Integritate caret; nunquam locus alter & alter
Multiplicat Corpus; divina potentia quo ſe
Non ferat in magnis rebus, minimiſque figuris,
Tranſitus ut Domini magnum manifeſtet amorem?
O amor, ò vitæ requies, & meta beatæ,
Cor petit ecce meum, caro te mea jugiter ardet;
Eſurit, atque ſitit; nullo me nectare major
Eſca trahit, major nullo me potus opimo;
Potus & Eſca ſimul, qui non corrumpitur eſu;
Viva Caro, Sanguis vivus, Caro Sanguine, Sanguis
Carne viget, Daps in Potu viget, in Dape Potus;
Sed tamen hac ſpecie bibitur, non manditur, illâ
Manditur haud bibitur; Cyathus ſunt, atque paropſis
Potus, & Eſca, ſed hoc non ſunt, quod Corpus Jeſu,
Corporis exuviæ, latæ ſacra ſymbola mortis.
Namque quod apparet, deſignat imagine Chriſtum
Eſſe Cibum, Potumque animæ, qui nutrit abundè
Corpore vivificans, & Sanguine; ſeque latenter
Sub ſpeciebus habet Panis, Vinique relictis
Dividuis, Corpuſque ſuum mortale figurat,
Ut refricet nobis quales aſſumpta dolores
Pertulerit natura Viri; ſed quod latet, olim
Subjectum pœnis, nunc immortale, poteſtas
Notificat Deitatis inenarrabile donum,
Quò genus humanum fruitur, ſi quando feratur
In Chriſtum, nihilumque ſui permanſerit in ſe.
Sic igitur Divina foris, intuſque reformet
Gratia me, reſecet pravos ex pectore motûs,
Corporeamque animæ ſubdat pax aurea molem,

Atque

Digitized by Google

Atque animam fidei. Tunc ah deſiderat unum
Te bone Chriſte, Dei Fili, Deus, atque Redemptor
Humani generis, mea te deſiderat Aura.
Quid moror? accedam; Bonitas velata morantem
Non patitur; ſuadent animo delicta receſſum:
Et tamen hùc urget duris in rebus egeſtas.
Acceſſi miſer, & patulo timor ore vocantem
Excipit, ac tremulo dilatat corde latebras.
Obticui; nec enim pro Majeſtate loquentis
Fas erat effari. Nunc ò Deus abdite, Verbum
Carne ſalutari vinctum; Caro Sanguine pollens
Laberis in mentem, divino Numine reples
Viſcera te toto, transfers figmenta creatí
Stipitis, & renovas in te tranſlata: fit unum
Corpus amicitiâ; fit Spiritus unus in ipſo,
Quo requieſcat amans in idipſum, & pace fruatur.
Uſque adeo Paſchale decus dabit Azima raptim,
Donec ab Ægypto triſtes exterminet hoſtes
Angelus, & tuto ſacras pertranſeat ædes.
At novus expectat ſecreta per invia cultus,
Et labor indigetes: fruges offerre novellas [a]
Expedit: Ætheriâ demiſſus ab arce pia vit
Spiritus Hebdomadas ſeptem, doniſque repletas
Sollicitat mentes; Terras properavit in omnes
Spiritus alta tonans, ſonituque calente reducit
Meſſis Apoſtolicæ ſpecioſa novalia: tantum
Terra ferat, patiens humili Divina culullo!
Nempe quies, & motus agunt ut cuncta ſub aſtris,
Irrequieta quies ut ſit, motuſque quietus;
Non ſecùs illapſu Numen ſcrutatur amantem,
Quem neque pax hebetat, neque motus agone fatigat;
Et ſapiens mentem cuſtodit in omnibus æquam.

P 4 Juge

[a] Num. 28. 26.

Digitized by Google

Juge tamen feſtum ſolemnia noſtra frequenter
Aſpirare velint, non impetrare litatum;
Nam nobis ſeptena per intervalla recurrunt
Menſium, & annorum, veterem ſignantia normam,
In Teſtamentum Legis novitate recluſum.
Ut verò ſemel obducet cenſura lituram
Chirographo mortis, maneas in Numine, vivas [a]
In Domino, reliquis defunctus rebus; Amoris
Hoc opus, & Fidei ſummum: cum ſenſeris in te
Jugiter eſſe Deum, ſensûsque occluſeris omnes,
Ut Deus, & tu ſis unum, ſpiresque viciſſim
Divinæ Bonitatis opes ex fonte receptas.
Tunc oculo, tunc aure Deum, tunc ore ſapis, cum
Mente trahis ſursùm ſensûs; circumſpicis, audis,
Delibas, quod mente tenes; ſonat omnia Numen,
Numen agit, Numen ſupereminet omnia circum.
Simplicitate ſubes, veluti ſi candeat igni
Ferrea maſſa; nihil ferri videatur, & omnem
Virtutem attribuas flammæ: Deus omnia circum
Eſt, operatur, in ipſo animæ natura ſileſcens
Effertur latè ſupra ſe: vividus ignis
Omnia conſumens Deus innovat omnia; cœlum
Ecce novum, terramque novam, rerumque novarum
Principium, finemque beatum. Abſorta modorum
Neſcia mens, primæ rapitur caligine Mentis,
Et ſecùs infuſis intelligit omnia formis.
Protinùs his autem mendacia noſtra videmus,
Qualiter abſtractis contemplabamur amictum
Lumen imaginibus, quod jam velamine moto

Pu-

---

a Joan. 16. & 15., Idem 17.

b 1. Cor. 2. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor Hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

Digitized by Google

Purius excipitur. Lumen de lumine pandit
Gloria: non oculus vidit, non audiit auris
Non Hominis concepit iners penetrale paratos
Æternæ pacis theſauros. Abſtrahe ſensûs,
Abſtrahe conceptûs, dediſce vocabula rerum;
Intuitu potiore Deus tibi ſuggerit in ſe
Cuncta; quid impediant ergaſtula carnis amantem?
Amentem me reddat amor, me barbara tellus
Rideat extorrem, quia non intelligar ulli.
Quem Deus aſſumpſit, quem circumſepſit, & infra
Se penitùs vertit, ſecum quodammodo ceſſit
Divinum fieri; divinâ ſorte potiri;
Secum intelligere, & ſecum ſe velle; beatè
Vivere, pace frui. Non eſt Deus alter in uno
Numine: ſit gratis illi commune, quod uni
Debetur; Fari liceat: notat omnia Verbum
Univocum ſine voce, quod inflecti neque poſſit.
Quod ſemel ut loquitur Deus, hoc ipſũ loquitur mens
Juncta Deo, ſemperque ſemel dixiſſe ſatisfit,
Inque uno gratis intelligit omnia Verbo.
Ipſum intelligere eſt vitæ puriſſimus actus,
Ipſaque Vita Deus, quî vult Animæ ſibi junctæ
Hæc eadem, quæ ſunt unum, verumque neceſſum eſt
Sic intelligi, ut eſt; & conformata potenti
Luminis attractu ratio vitale recepta
Incorruptibilis fontis ſpiramen in ævum.
Hic immobilitas ſummâ virtute capeſſit
Mobilium vultus, mutabiliumque medullas;
Immenſumque Dei ſcintilla reciprocat ignem,
Et quos inverſo perceperat ordine, recto
Transformata capit radios, & capta remittit.
Hic novitas æterna nihil novitatis in ipſo
Fonte refert, in vaſe refert nova cantica laudum;
Nec piget antiquæ lucis, quæ continet omnes
Rerum

Rerum notitias, vitæ præſtantis origo. *a*
Aut ſint, aut fuerint, aut ſint virtute futuræ
Aut fieri poſſint, radio lux omnia monſtrat,
Illa voluntatis libito ſic eſſe, velut ſunt;
Illa poteſtatis metâ ſic poſſe cieri.
Huc aciem vertas; hìc eſt ſapientia, finem
Pertingens à fine: genus mendacia nullo
Fingit adulterio; neque enim confuſa ſub uno
Plurima conceptu fiunt abſtracta; videndi
Singula deſignant propriæ diſcrimen abollæ,
Quà ſibi conveniant, quà ſe diſtinguere poſſint,
Quà ſint hoc unum: fert omnia viſio menti.
Non individuûm ſpecies ignara ſuorum,
Indefinitâ fallit ſub imagine ſenſum,
Conceptumve rei; cunctos, quos prima Voluntas
Decreuit fieri, fœtus diſcernit, in ipſis
Ultima dividuæ ſortis diſcrimina, plenum
Suppoſitum vicibus, quodcumque relatio, motus,
Et locus, & tempus circumſtant, paret amuſſim.
Hìc menſura notat, quid differat iſtud ab illo,
Quid proprii referant, & quid commune, quid in re
Mens humana novum, quod non eſt, eſſe laboret;
Et quibus ingenii tranſcendat viribus, ut plus,
Quam ſit opus, ſapiat. Mundi ſapientia latè
Stultitiam redolet, fatuum ſonat: Hæccine fumus,
Et ſtrepitus peperit buccis inflantibus Euros?
Futiliter ſcimus quicquid cognoſcimus extra
Numen, & appetimus, quod non amat ipſe Creator,
Diligimus figmenta boni, bona ſpernimus ipſa,
Dumque laboramus mentis conamine Verum
Diſcere, deſipimus, quoties nolimus amori
Divino navare operam, Veroque manenti

Sta-

a Joan. 1. *Quod factum eſt, in ipſo Vita erat.*

Stare voluntatem. Requies operoſa coercet
Inſtabiles motûs, & mente perennia luſtrat,
Donec inoffenſo divina chariſmata tractu
Spiritus eructans, quo ſe Deus afflat, agatur. a

Prædictorum Compendium:

SI compendiolo totum petis, ANNIBAL, orbem,
Hic habeas. Deus ante Dies eſt Unus, & in ſe
Trinus, & Omnipotens: quicquid vult eſſe, creavit
Ex nihilo; qualem, & quantum vult, Mundus ab ipſo
Cœpit, & hunc unum, qui continet omnia, ſervat.
Condidit in mundo Mentes, & Corpora: Mentes
Mole carent; præſunt rebus, vitâque fruuntur
Intellectivâ; Stygias proclive malorum
In chaos obdurat rabies infenſa catervas.
Corpora continuis conſtant ex partibus, omnes
Menſa locos mundi, quamquam ſint cædua quædam,
Difficili quædam tractu ſtringentia partes.
Hæc Elementa voces, ſpeciem quæ cædua ſervant,
Et non ex alia miſcent farragine corpus,
Æthera Stellarum fluidum, flammamque nitentem,
Aëra, cœleſtes Latices, Pelagusque profundum,
Virgineumque ſolum: ſpeciem, quæ cædua mutant,
Miſta voces, perfecta quidem, ſi protinus omnem
Commutant ſpeciem; dant imperfecta regreſſum
In ſua principia, & facili ſe fœnore mutant,
Ut vapor in pluvias, exhalans fumus in ignes,
Et glacies in aquam. Monſtrat mutabile corpus
Materiam primam, & Formam; quia motus agentis

Eſt

---

a *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii ſunt Filii Dei.* Rom.8. 14.

Digitized by Google

Eſt in ſubjecto motum patiente. Reſiſtens
Materies actu formata, fit altera primùm
Contingenter, eo dum qualia cuncta recedunt,
Et nova conſurgunt motu, quæ format ab una
Compoſitum ſpecie. Virtus activa movendæ,
Mutandæque rei, quæ ſit mutabilis actu,
A Generante venit: Generans inſtructus ab omni
Concurſu cauſæ primæ, cauſæque ſecundæ,
Inſtrumentali naturæ, aut artis amictu
Præditus, unus erit, totumque vocabis habentem
Singula, ſuppoſito quæ ſunt tribuenda creato.
Sic Deus inſtituit totum totaliter à ſe
Dependere quod eſt, quod non ſine ſe valet eſſe
Cauſa vel effectus; Cauſas juvat inſuper omnes,
Harumque effectus fieri; neque præpedit actus,
Influxuſque ſuum juxta genus. Omnia Cœlum,
Omnia Stellarum motus movet, omnia virtus
Aſſiſtens; Elementorum concurſus agenti
Proderit univoco, tribuens ſementibus eſcam.
Eſt ſua ſeminio virtus, depaſcere quicquid
Appetit, & paſtum propriis invertere formis,
Unde fit à ſimili per congrua pabula trunco
Perfectæ genitura rei, totumque minutis
Particulis conſtat, vinctiſque ligamine formæ
Per ſe ſubſiſtit: nam radicaliter omnes
Una vices, ut origo, ſuas ſubſtantia primò
Subſtinet, atque ſuos latè dimanat in actus;
Quà finita manet, quà materialis, & impos,
Deficit, & patitur, recipit conamina motûs,
Dividitur ſufferre minor, corrumpitur, ultrò,
Deformata caret ſpoliis potioribus, & quod
Reſtat, habet proclive novam deducere formam,
Si tali virtute movens communicet illam;
Sin minus; ad ſimplex redeat natura elementum.

Qua

Digitized by Google

Quà verò formata viget, quà nobilis illam
Endelechia movet, cunctos propendet in actûs
Non ſibi luctantes. Ad perfectiſſima corpus
Aſpirat formæ conſortia; ſenſibus omnem
Pandit Energiam; quam ſi divinitùs abdat,
Æternæ ſpecimen de ſe rationis habebit,
Atque loco, motuque carens, & tempore, nobis
Poſſet Energiæ ſolas oſtendere vires.
Namque volente Deo, rerum proceſſus ad extra
Hoc ſapit æternum, quod ſemper in intellectu
Divino fuerit ratio quandoque manendi
Taliter, & poſſint imitari facta Creantem
Multiplici ductu, parere creanda volenti.
Hoc igitur quod ſunt, contingit habere, quod effert
Naturæ propriæ limes, defectio, rerum
Singula conditio, tum providus ordo volentis.
Hoc autem quid ſunt, à prima Mente neceſſe eſt
Invariabiliter totum manare, Deique
Perpetuis imitabilitatibus exæquari,
Principiiſque ſuis mentaliter omnia cogi.
Nam Mens divina eſt radix, qua vera ſequuntur
Omnia: ne deſint, Cauſa eſt divina Voluntas.
Hinc igitur finem naturæ circulus illum,
Qui ſua principio referat, veſtigat haberi;
Cumque Deus ſit tale movens immobile, finem
Omnia ſuſpirant illum, quo denique, quantum
Congruit, & fieri poſſunt perfecta, quieſcant.
Et quia mobilium, mentem in ſuprema trahendam
Solus Homo gerit, & reliquum famulatur eidem,
Cum fuerit perfectus Homo potiore ſuperni
Numinis intuitu, doniſque refertus amœnis
Corporis, ecce novum cœlum, nova terra pateſcet.
Ac virtute Dei fient hæc conſona Sanctis,
Qualia demonſtrent, mundi quid præterit, & quid

Lege

Digitized by Google

Lege Dei plenâ poſſit ſubſiſtere ſemper.
Lux erit immotis cœlis, & ubique refulgens;
Ignis ubique patens, innoxius; Aſtra decoris
Firma locis; Æther immobilis; Aëra ſudum
Nullus Aquæ motus quatiet: ſine germine tellus
Clara velut Sydus ſtabit: tellure ſub imâ
Deſperata lues tenebris cogetur, & igni.
Quicquid ab extremis noſcis clareſcere metis,
Quanta ſit in rebus divina Potentia, pandit.

FINIS.

MNG 2019699
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google